LIBER TERTIVS DE QVIBVSDAM CONTROVERSIIS CHRISTIANAE RELIGIONIS

INTER CATHOLICOS ET HÆRETICOS NOSTRI temporis agitari ſolitis.

AVTHORE DAVIDE CAMERARIO PRESBYTERO SCOTO.

AD ILLVSTRISSIMVM ET REVERENDISSIMVM PRINCIPEM Ioannem Garziam S. Romanæ Eccleſiæ Cardinalem Melinum.

CATHALAVNI.
Apud Iacobum Theuenym Typographum & Bibliopolam;
M.D.C.XXVII.

Digitized by Google

P
A

DAV

ſigne op
contro
rent ?
capital
bertat
nunq
dicio
ſidio c
dire t
illis au
gere
hec in
duntax
rum n
geniu
nobil
tem n
bere,
teſum

Digitized by Google

ILLVSTRISSIMO
PRINCIPI IO-
ANNI GARZIAE
S. R. E. CARDINALI MELINO,

SVPREMI D. N. VRBANI VIII. PAPÆ
in vrbe Vicario, ac ſanctæ Inqui-
ſitionis Præſidi,
DAVID CAMERARIVS PRESBYTER SCOTVS OBSEQVIVM.

ALIIS *alia*, Illuſtriſſime Cardinalis, *nuperrimè opuſcula dedicaui, hunc enim honorem atque obſeruantiam perſonarum ratio dignitaſque poſtulabat, atque ſingularis in me vniuerſoſque gentis noſtræ homines beneficentia, quoddam grati animi pignus, & inſigne optimo iure expetebat; Hæ verò de religionis controuerſijs diſceptationes ſine controuerſiâ ad te tota conuerti debuerunt. Quò enim meliùs ac tutiùs diuerterent? quàm ad eum qui ſummus ſagaciſsimuſque hæreſeon inquiſitor, errorum capitalis hoſtis, Romanæ auitæque veritatis acerrimus vindex, Chriſtianæ libertatis vigilantiſsimus deſenſor & aſſertor, ſummorum trium Pontificum, nunquam interrupta perturbataque ſerie, eſſet Vicarius: cuius grauiſsimo iudicio approbarentur, ampliſsima auctoritate confirmarentur, firmiſsimoque præſidio communirentur. Hunc igitur illarum quaſi ingenitum ad te curſum impedire tam mihi non libuit quàm non licuit. Licuit autem nullo pacto. Vnde enim illis aut firmius præſidium, aut clarius decus quàm ex te, ſperarem poſſe contingere? Tanta eſt enim tua in me beneuolentia, & tam inſignis liberalitas, vt hoc in opere dicando, beneficium non dare, imò ne reddere quidem, ſed exiguum duntaxat grati animi indicium obſcurè monſtrare, & tuorum erga me meritorum non penitus ſeneſcentem memoriam ſignificare me fatear. Nam quid aut ingenium meum, aut ſcientia, quid induſtria poteſt elaborare, quod tua ſit dignum nobilitate, humanitati queat gratificari, coruſcantis denique purpuræ maieſtatem meritò non perhorreſcat. Verumenimuero hæc vnde mihi metus ſuboriri debere, te tuo, vt dicitur, pede non metienti videretur, mirificè animum meum de te ſumma & optima quæque cogitantem in ſpem certam inducunt, fore vt ante-*

Digitized by Google

lucũna hæ vigilia in lucem tam claram prodeant & diuturnam, vt occaſum
ceſſe ſit nunquam pertimeſcere. Hoc mihi ipſum Aurij Melini (ſic enim ma
tui, Ciceronis etiam tempore florentiſsimi nobiles dicebantur) nomen pollic
Melli illud quàm affine! quàm cognatum auro! Illud profectò huic opu
immortalitatis ſcilicet nota perpetuitatem portendit: huius fulgor præclara q
dam decora promittit & ornamenta. Quid quod Melini rebus gerendis
potiùs quàm educati, tot retractis annis, multa eaque diuerſa & max
Chriſtianæ Reipublicæ tanta cum laude munera obierint? vt ea ipſa non tan
miliæ tuæ dignitatem & ſplendorem attuliſſe, quàm ab illa accepiſſe, Et
à te copioſiſsimè haurire non iniuriâ omnes debeant fateri.

Profectò huic facilè adducor, vt credam huic meo libro, aureum Melin
men ipſa in fronte gerenti, multùm auctoritatis eſſe acceſſurum: quippe in q
tantæ nobilitatis vir, ſuæ gentis clariſsimum ſidus, benignos radios, intue
dignetur vibrare. Illum ergo ad patrocinium tuum ſponte properantem ſu
malui amplitudini tuæ conſecrando, qualem qualem grati & ob-
ſeruantis animi conciliare opinionem, quàm manifeſtam in-
grati non dedicando ſuſpicionem incurrere.

Vale.

PARS
PRIMA
CAPVT PRIMVM.
§. 1.us
QVÆNAM SIT VERA DEI ECCLESIA IN TERRIS.

DARI aliquam veram Chriſti Eccleſiam & nos ſupponimus, & non negant hæretici. Reliquum ergo eſt vt videamus quęnam ſit hæc Eccleſia. Dicendum autem eſt veram Chriſti Eccleſiam eam eſſe, quæ Romana vulgo dicitur & Catholica, Romano Pontifici pro tempore exiſtenti obtemperans. Nec poſſe vllam aliam congregationem, Sectariorum præſertim noſtri temporis ab illa diſſidentem in doctrinâ fidei, veræ Eccleſiæ nomine inſigniri niſi falsò & temerè.

Concluſio hæc noſtra, quoad vtramque eius partem eſt de fide, & probatur. Ac primò quidem quoad primam partem, quia Eccleſia Romana eſt vna, ſancta &c. adeoque notis illis inſignita, quæ veræ Eccleſiæ Chriſti ſunt certiſſima indicia, ergo &c. Antecedens explicabitur & probabitur quoad omnes ſuas partes paragraphis ſequentibus. quoad ſecundam partem concluſio probatur, quia nulla alia congregatio præſertim Sectariorum noſtri temporis, à Romanâ diſſidens in doctrina fidei eſt vna, ſancta, Catholica &c. Ergo &c: Antecedens cōſtabit ex dicendis paragraphis ſequentib⁹. Conſequentia eſt euidens.

§. 2.us
AN VERBI DEI PRÆDICATIO ET LEGITIMVS SACRAMENTORVM VSVS SINT VERÆ NOTÆ ECCLESIÆ.

VT videamus an Eccleſia Romana ſit vna, ſancta, reliquaſq; habeat verę Eccleſię notas, videndū eſt 1. an notę aſſignatę ab hęre-

ticis ſint verę notę. Exiſtimauit Caluin⁹ l. 4. inſt. 1. numero 9. quen
quuti ſunt hæretici noſtri temporis, hæc duo ſufficere ad inueniend
veram Eccleſiam, eſſeque veræ Eccleſiæ notas. Contra hos tamen.

Certa veriſſimaque eſt ſententia non eſſe hæc veræ Eccleſiæ nota

Probatur primo. Si recta Sacramentorum adminiſtratio vera e
nota Eccleſiæ, in falſa Eccleſia non haberet locum, vel ſi haberet
eſſet, non falſa. Sed in noſtra Eccleſiâ locum habet, ergo &c. M
per ſe patet. Minor probatur. Si in noſtra Eccleſiâ non eſt recta Sa
mentorum adminiſtratio, Caluinus & præcipui ſectarij baptizati
erunt, cùm in noſtra ſola ſint baptizati, hoc autem aduerſarij non c
cedent. Ergo &c.

Probatur 2. Nam notæ vt conſtat ex vi termini rem denotare deb
notam facere & diſtinguere, adeoque notiores & euidentiores eſſe
bent ipſa re quam denotant. Nam ſi minus notę vel æquè ignotę e
qui per illas demonſtraret, ignotum per ignotius, vel æquè igno
probaret; quod certè non eſſet probare ſed nugari: Syncera autem
cramentorum adminiſtratio & legitima verbi Dei prædicatio non
notiores Eccleſiâ, vt conſideranti patebit.

3. Probatur hæc non eſſe veras notas Eccleſiæ. Nam cæteras reij
& his duabus inſiſtere Sophiſticum eſt, & mera petitio principij. q
tumlibet ſpecioſo verborum inuolucro obducatur. Hoc ſic demon
Nihil enim aliud eſt Eccleſiam per has notas oſtendere, quàm iden
idem demonſtrare. Cùm enim quæritur quænam ſit vera Ecc
ſenſus quæſtionis iuxta ſeurinam & immediatam verborum ſigni
tionem eſt iſte, quænam ſit illa congregatio fidelium quæ veram
& Sacramentorum adminiſtrationem habeat. Quando igitur Se
veram doctrinam & rectum Sacramentorum vſum tanquam Ec
notas obtrudunt, quæſtionem ipſam fugiunt, & idem per idem
per gyrum acti demonſtrant, nec interrogantem inſtruunt ſed
dunt. Deinde hæ notæ pugnant contra illos: nam doctiſſimi ill
(inter cæteros Caluinus lib. 4. inſt. cap. 3 ſectione 4.) aiunt Eccl
paſtoribus carere non poſſe. Si ergo proteſtantium Eccleſiam ve
hoc aliquando caruiſſe probauero, ſimul etiam non eſſe veram C
Eccleſiam demonſtrabo. Quod autem non ſemel ſed ſæpe id acci
ſic oſtendo. Ante Lutheri & Caluini ab Eccleſiâ noſtra Catholic
ceſſionem, ne vnum quidem exemplum aduerſarij proferre po
quo probent certum aliquem verbum & Sacramenta ritu proteſt
adminiſtraſſe. Signum ergo eſt non eſſe hæc veras Eccleſiæ notas

Digitized by Google

hac de re Briellium in Apologia proteſtantium pro Eccleſiâ Romana tractatu 2. cap. 3. ſect. 11. Baltazarem Chanaſſium lib. 2. de notis Eccleſiæ cap. 1. Valentam in controuerſiâ de vera Eccleſiâ cap. 19. & alios.

§. 3.us

ASSIGNANTVR SIMVL ET PROBANTVR VERÆ ECCLESIÆ NOTÆ ET PROPRIETATES.

Refutatis notis quas adferunt hæretici ſupereſt vt veras adferamus ſimul ac probemus. Dicendum igitur eſt Eccleſiæ Catholicæ veras notas has eſſe, vt ſit clara & omnibus conſpicua, vt nec ſit vnius prouinciæ ſed per orbem diffuſa, antiqua, vt ſit & appelletur Apoſtolica, vt in ſe habeat legitimam Paſtorum ordinationem & vocationem, vt ſit ſancta, vt ſit vna. Hanc propoſitionem per partes probabimus.

Prima pars, nempe quod debeat eſſe clara & conſpicua. Probatur, quia claritas atque ſplendor Eccleſiæ ita in diuinis literis exprimitur, vt is hominum cœtus qui eo careat, Eccleſia Dei cenſeri non poſſet. Hanc enim talem fore (pſalmo 88. verſ. 38.) Dauid in ſpiritu videbat, cùm dixit in perſona Dei Patris, *Et thronus eius ſicut Luna perfecta in æternum: & teſtis in cœlo fidelis.* Et rurſum pſal. 18. *In Sole poſuit tabernaculum ſuum.*: Id eſt in manifeſtatione poſuit ſanctam Eccleſiam, ait Auguſtinus expoſitione 21. poſt medium, & tractatu 2. in Epiſtolam Ioannis. Eiuſmodi etiam Eccleſiæ notam Iſaias cap. 12. Daniël cap. 2. Michæas cap. 4. ſignificarunt veram eſſe cùm Eccleſiam monti magno & conſpicuo compararunt, qui nullo modo abſcondi poteſt, vt in ea loca Hieronymus & Sanctus Auguſtinus tractatu 10. in epiſtolam Ioannis ante med. exponunt. Nec minùs perſpicuè hæc eadem nota in nouo teſtamento exprimitur. Poſtquam enim Chriſtus diſcipulos multa ſeorſum à turba docuiſſet, ſic eos totius Eccleſiæ perſonam gerentes alloquitur. Math. 5. verſ. 15. *Vos eſtis lux mundi, non poteſt ciuitas abſcondi ſuper montem poſita.* Et Mathæi 24. verſ. 23. *Si quis*, inquit, *vobis dixerit, Ecce hic eſt Chriſtus, Ecce illic, nolite credere.* Et iterum, *Si dixerint vobis, ecce in deſerto* (quaſi vbi non eſt frequentia multitudinis, ait Aug. lib. de vnitate Eccleſiæ cap. 22,) *Nolite exire.*

Probatur iam ſecunda Eccleſiæ nota, videlicet quod non ſit vnius prouinciæ, ſed per orbem terrarum diffuſa. Hoc euidens etiam eſt ex

Digitized by Google

diuinis litteris. Ac primùm quidem de Eccleſiæ propagatione in 18. habetur. *In omnem terram exiuit ſonus eorum: & in fines orbis terræ v eorum.* quem locum de Eccleſiâ intelligi locupletiſſimus teſtis eſt A ſtolus Paulus ad Romanos 10. Deinde pſal. 2. huius per orbem Ec ſiæ diſperſionis promiſſio inuenitur. *Filius meus es tu*, mox de Eccl ſubijcitur: *Dabo tibi gentes hæreditatem tuam & poſſeſsionem tuam term terræ.* Nemo Chriſtianus, ait Auguſt. lib. de vnitate Eccleſiæ capit hanc hæreditatem aliud eſſe quàm Eccleſiam vnquam intellexit. E alia prætermittam, clariſſima ſunt illa noui teſtamenti loca quibu poſtoli Mathæi vltimo & alibi iubentur docere omnes gentes, pra care (Marci 16.) Euangelium omni creaturæ, & Chriſti teſtes ſ non ſolùm in Hieruſalem, & in omni Iudæâ & Samariâ, ſed vſqu vltimum terræ.

Probatur tertia Eccleſiæ nota, nempe quod debeat eſſe antiqua. I batur autem, quia patres ad hæreſes comprimendas & improban hoc ſigno veluti Lydio lapide vſi ſunt. *Qui eſtis vos* [inquit Tertulia lib. de preſcript. cap. 14.) *vnde, & quando veniſtis?* Et Hilarius lib. 6 Trinitate, *Tarde* [inquit] *hos piiſsimos Doctores ætas nunc huius ſæculi tulit: ſero hos habuit fides mea.* Et Hieronymus in epiſtolâ ad Pam chium. *Cur poſt quadringentos annos docere nos niteris, quod ante neſciuim vſque in hunc diem ſine iſta doctrinâ mundus Chriſtianus fuit.* Et contra ciferum in fine, *Hoc ipſo* [inquit) *quod poſterius inſtituti ſunt, eos ſe eſſ dicant, quos futuros Apoſtolus pronunciauit.* Quibus Patrum vocibu olim hæretici vehementer vrgebantur, ſic & noſtræ tempeſtatis ſe rios iure inceſſimus. Eccleſia enim deficere & errare non poteſt proinde illa Eccleſia quæ tam recentem ortum habet poſt tot ſæc huiuſmodi eſſe nequit. Ac primùm quidem diuinæ literæ abund ſtantur. Nam Eccleſiam ſupra Petram ædificatam & aduerſus ea portas quidem inferi præualituras in Math. habemus cap. 16. in ea Chriſtum futurum vſque ad conſummationem ſæculi habemus M 28. quam promiſſioñe Apoſtolis factâ ad cæteros quoq; qui in Eccl pertinere diuus Auguſtinus, Leo vterque primus & ſecundus auth ſunt. Paulus autem 1. ad Timotheum clare columnam & firmam tum veritatis appellat, veritas autem Domini manet in æternum.

Probanda nunç eſt quarta Eccleſiæ nota nempe quod ſit Apoſto Et ne ambiguitate vocabuli quiſquam fallatur, ſciendum eſt dum cleſiæ Apoſtolicæ nomen tribuimus, Patriarchas aut Prophetas haudquaquam excludere. Ædificata enim Eccleſiâ eſt ſuper fu

mer

Digitized by Google

mentum Apoſtolorum & Prophetarum, ad Hebræos 2. verſu 20. Et quod Apoſtoli iam factum orbi nunciarunt, Prophetæ futurum aliquando prædixerunt. Dicitur autem Apoſtolica tum quia ab Apoſtolis per varias orbis partes propagata eſt, prout ad Romanos 10. verſu 18. & pſal. 18. verſu 5. habetur, *In omnem terram exiuit ſonus eorum.* Tum etiam quia primus fidelibus ab iiſdem Apoſtolis tradita in Eccleſiâ perpetuâ ſucceſſione conſeruata eſt. Atque hinc fit, quod vnica via atque ratio, qua Eccleſia iam Apoſtolica ne ſit cognoſcatur, Epiſcoporum, atque Paſtorum in eadem doctrinâ perpetua ſucceſſio cenſeatur. Quod cùm Patres optimè animaduerterent, ab hæreticis omnium ætatum atque temporum eam diligenter expetiuerunt. Et inter cæteros primus Tertullianus lib. de perſcrip. cap. 32. *Edant* (inquit) *origines Eccleſiarum ſuarum, euoluant ordinem Epiſcoporum, ita per ſucceſſiones ab initio decurrentes, vt primus ille Epiſcopus aliquem ex Apoſtolis vel Apoſtolicis viris, qui tamen cum Apoſtolis perſeuerarent, auctorem habuerunt & anteceſſorem.* Cuius veſtigijs & eius diſcipulus magnus Cyprianus lib. 1. pro epiſt. 3. ad Magnum ante medium inſiſtens, contra Nouatianos argumento à ſucceſſione deducto vtitur *Si enim* (inquit) *apud Nouatianum eſt* (Eccleſia) *apud Cornelium Romanum non fuit, qui Fabiano Epiſcopo legitima ordinatione ſucceſſit.* Idem facit Epiphanius hæreſi 27. poſt medium, ipſoſque Romanos Pontifices enumerat. Idem denique Auguſtinus in pſal. contra partem Donati poſt medium tomo 7, *Numerate* [inquit] *Sacerdotes primò ab ipſa ſede Petri, & in ordine illorum patrum quis cui ſucceſſerit videte.* Et epiſt. 164. initio, & contra epiſ. funda. cap. 4. *Tenet* [inquit] *me ab ipſa ſede Petri Apoſtoli, cui paſcendas oues ſuas Dominus commendauit, vſque ad præſentem Epiſcopatum ſucceſſio.* Hæc cùm ita ſe habeant, videant hæretici quàm conſentaneè cum Tertulliano (de præſcrip. circa med.) petamus vt Epiſcoporum ſuorum ordines euoluant, & cum optato Mileuitano lib. 2. contra Parmen. vt ſuarum cathedrarum origines oſtendant, qui ſibi Eccleſiam ſanctam vendicant.

Quinta propoſitionis pars, nempe quod legitima Paſtorum ordinatio & vocatio ſit vera Eccleſiæ nota, probatur. Nam Eccleſia nequit eſſe abſq; Paſtoribus & Epiſcopis, vt egregiè docet Diuus Cyprianus Epiſ. ad Puppian, qui Eccleſiam definit eſſe plebem Epiſcopo adunatam. Et Hieronymus contra Lucif. cùm ait, Eccleſiam non eſſe quæ non habet ſacerdotes. Id quod apertè patet ex Paulo Apoſtolo ad Epheſios 4. verſu vltimo, qui Chriſtum dediſſe Paſtores & Doctores ad conſummationem Sanctorum in opus miniſterij, docet Seruator etiam Ioan-

nis 10. verſu 12. gregem paſtoribus deſtitutum neceſſariò perire. *M. cenarius* (inquit) *fugit lupus rapit & diſpergit oues*. Epiſcopos autem h ius gregis eſſe paſtores patet ex capite 20. Act. Apoſtolorum verſu *Attendite vobis & vniuerſo gregi, quos Spiritus ſanctus poſuit Epiſcopos re Eccleſiam Dei*. Hi tamen Paſtores & vocari debent & ordinari. *Ne enim quiſquam ſumit ſibi honorem, ſed qui vocatur à Deo tanquam Aaron.* Hebræos 5. verſu 4. Et *Quomodo prædicabunt niſi mittantur?* Ad Ron nos 10. verſu 15. Ordinari autem non poſſunt niſi illâ manuum im ſitione, de quâ Apoſtolus loquebatur 1. ad Timotheum 5. cùm dice *Manus nemini impoſueris*. Sed nec quæcunque & à quocunque adhib manuum impoſitio ordinationi ſufficit, ſed ea neceſſariò requir quæ ab Epiſcopis fit, quod cùm vſus in Eccleſiâ conſeruatus indic tùm etiam vocabulum illud præſbyteri in loco Pauli paulò ante all comprobat, quod cœtum Epiſcoporum ſignificare Chryſoſtomus l miliâ 14. in cap. 4. 3. ad Timotheum tom. 3. Theophilactus in co mentarijs eius loci, OEcumenius & alij authores ſunt.

Sexta pars noſtræ aſſertionis, nempe quod Eccleſia debeat eſſe ſa probatur. Nam eatenus Eccleſia dicitur ſancta, quatenus Chriſti guine tincta eſt. Præterea quia non niſi intra eius ſepta Sancti in niuntur, vel denique ſancta dicitur & veriſſimè, quia fides quâ Ec ſiæ membra inter ſe coaleſcunt, ſancta ſit & ſacra. Hac ratione fid in diuinis literis ſanctorum nomine appellantur frequentiſſimè, vt 9. verſu 13. & 26. verſu 10. & ad Romanos 12. verſu 13. Sunt & cauſæ quamobrem ſancta dicatur Eccleſia. quibus prætermiſſis ob notabis non ideo ſanctam dici, quod peccatores atque reprobos p reijciat, ſed propter tres allatas rationes.

Septima propoſitionis pars, nempe quod vnitas ſit Eccleſiæ n probatur Nam in Symbolo eidem attribuitur, & in diuinis literis uenitur. Hanc enim ſignificat ſponſus in Canticis cap. 6. verſ. 5. mans. *Vna Columba mea, perfecta mea*. Hanc etiam expreſſit Apoſt ad Epheſios 4. verſu 4. cùm dixit, *Vnum corpus, vnus Spiritus, ſicut v eſtis in vnâ ſpe vocationis veſtræ*. Ad hanc etiam vnitatem conſeruan datos à Chriſto fuiſſe Apoſtolos, Prophetas, Doctores Paulus Ap lus ad Epheſios 4. docet, *Vt occurramus* (inquit) *omnes in vnitatem ne circumferamur omni vento doctrinæ*. Atque hæc de Eccleſię notis di ſufficiat.

Digitized by Google

§. 4.us.

OSTENDITVR PRÆDICTAS PROPRIETATES HÆRETICORVM SYNAGOGÆ NON CONVENIRE, SED ECCLESIÆ CATHOLICÆ, ROMANÆ, ET EAM ESSE VERAM ECCLESIAM.

PRædictas proprietates & notas hæreticorum Sinagogæ non conuenire per ſe euidens eſt. Et primam quidem illis non conuenire vel ipſi teſtes locupletiſſimi ſunt. Nam eorum aliqui, tantùm abeſt vt veram Eccleſiam illuſtrem faciant, vt prorſus inuiſibilem conſtituant, quod tam fraudulenter faciunt & ad ſuum tegendum errorem, & Catholicorum obiectiones euitandas, quibus eos moleſtare ſolent, dum vbinam eorum Eccleſia totos mille & ampliùs annos latuerit, quęrunt. Ita Caluinus in præfatione inſt. poſt med. *Non parum à vero* (inquit) *aberrant dum Eccleſiamnon agnoſcunt: niſi quam præſenti oculo cernant.* Et infra. *Fremunt niſi Eccleſia Dei ſemper oſtendatur.* Et rurſum in prologo contra Sotum. *Quin potiùs permittamus Domino, vt quando ipſe ſolus nouit qui ſui ſunt, interdum etiam Eccleſiæ ſuæ exteriorem notitiam ab hominum aſpectu auferat.*

Secundam etiam notam ipſorum Synagogæ non conuenire patet, quia nec fuit nec eſt per orbem diffuſa. Hanc obiectionem ſi Sectarij fouere volent, oſtendant oportet ſectam ſuam longè latéque per orbem terrarum diffuſam, quod nunquam valebunt, cùm certum ſit, eandem in paucis Septentrionis regionibus eſſe concluſam, mare nunquam pertranſiſſe, in Africà, Aſià, præcipuis orbis partibus de eà nunquam auditum. Quin etſi quod abſit, virus hoc peſtiferum ad plurimas Prouincias ſe diffunderet, non ideo magis eſſet Eccleſia, quoniam non vna proteſtantium eſt ſecta, ſed tot tamque inter ſe pugnantes; vt magis à ſe inuicem, quàm à Catholicis in plurimis diſſideant. Vnde pulchrè Auguſtinus docet lib. de Paſtoribus cap. 8. Eccleſiam eſſe vbique; & hæreſim eſſe aliquando vbique, ſed Eccleſiam vnam & eamdem eſſe vbique, hæreſes autem non eaſdem, ſed diuerſas, quę ſe non nouerunt.

Tertiam etiam notam proteſtantium Eccleſiæ non conuenire probatur: Nam recenter exortam eſſe ipſorum Eccleſiam luce clarius eſt. Tempus enim & locum vbi orta, quis ei reſtiterit, quis eam damnarit, oſtendere poſſumus. Cœpit enim Lutherus hæreſes ſuas promulgare

Digitized by Google

anno 1517. Vvitenbergæ, qui ſubitò vt exortus eſt, à Leone ſum Pontifice condemnatus, ab Eckio, Cochleo, aliiſque confutatus f Vbi etiam cœperit Caluinus, & quo tempore certum etiam eſt, de c re vide Hieronymum Bolſecum in eius vitâ. Quin & ipſi ſuam doct nam nouam, nec ſemper fuiſſe teſtantur & fatentur, Apologiæ en Anglicanæ verba ſunt, *In medijs illis tenebris exoriri primùm cœpiſſe, lucere radium aliquem, ignotæ tamen & inauditæ veritatis, cùm Marti. Lutherus, & Vdalricus Zuinglius præſtantiſsimi viri, & ad illuſtrandum bem terrarum dati, primo acceſsiſſent ad Euangelium.* Theodori etiam Be vox eſt, dum vitam Caluini deſcribit, *Vni Caluino poſt Chriſtum & A ſtolos deberi etiam veram & germanam de cœna Domini intelligentiam.* S quoniam ſe perimi proteſtantes alij animaduertunt, & Eccleſiæ ſ principium fateri eſſe Eccleſiam è medio tollere: aliam euadendi mam commenti ſunt: quæ tamen vſque adeo anguſta eſt, vt dum tr ſire ſatagunt, diſrumpantur. Aiunt enim Eccleſiam ſuam ſemper fui cùm ſacræ ſcripturæ auctoritate nitatur, ac proinde nouam non e ſed illam ipſam quam Chriſtus fundauit, per multa ſæcula latui incognitam. ſed hoc eſt Eccleſiam Typhonij ſpecum, aut Antichr & non lucernam illam, quam Chriſtus Mathæi 5. in candelabro po tam ait, vt luceret omnibus qui in domo ſunt efficere. Hoc eſt Eccle Aerij fingere, qui ſeparatus ab omnibus Eccleſijs ac ciuitatibus, ſcribit Epiphanius hæreſi 75. in ſyluis cum ſuis latitabat. Adde qu Eccleſia illa latens vel fidem ſuam profitebatur, vel non, ſi profiteb tur non erat latens, ſed manifeſta, & talis aliqua profeſſio fidei ab o nium ætatum ſcriptoribus memoriæ prodita fuiſſet. Si non profiteb tur, certè Eccleſia Chriſti non erat: prædicatio enim fidei ipſorum ſe tentia eſt vera Eccleſiæ nota, quæ ſi ibi fuit, fuit etiam & confeſſio fid Supereſt adhuc vnus euadendi modus, qui & ille aduerſarius præcl dendus eſt; fuiſſe nimirum in orbe Chriſtiano per omnes ætates al quot fideles notos & aſpectabiles, qui eadem cum ipſis ſenſerint, e nimirum veram Eccleſiam extitiſſe. Sed contra hoc eſt. Et primù ab aduerſarijs petò, quibus tandem argumentis hos extitiſſe om ætate caniſeſtos comprobabunt? quænam ſacramenta, quibus, quando hæc Eccleſia miniſtrauit? quam exercuit diſciplinam? quib & vbi verbum Dei prædicauit? quibus obſtitit hæreticis? quas Syn dos conuocauit? quæ templa ad religionis munus, aut ad doctrina extruxerit ſcholas? ſine enim his omnibus quænam Eccleſia eſſe p teſt? Præterea ſi qui tales extiterint olim etiam veniente Caluino

Luthero extitiſſent, & proinde ipſis comparantibus ad illos conuolaſſent, eoſque vt ſocios cognouiſſent, at non ita factum eſt. Nam omnes qui ſunt Lutherani fuerunt ex noſtris, & omnes qui ſunt Caluiniſtæ fuerunt etiam ex noſtris antea, nihilque de noua illa Caluini aut Lutheri doctrinâ ante ipſorum aduentum cogitàrunt. Si autem qui retroactis temporibus extiterunt, hæretici ipſi, vt modo proteſtantes, habiti ſunt, vt Marſilius de Padouâ, Viclef, Hus, Hieronymus Apraga, quos ſuos eſſe volunt Melanchton, & Fulcus, qui tam pauci tamen ſunt, vt non ante multos hos annos, quâ ratione ex ijs, Eccleſiam ſuam ſemper fuiſſe aſſerant, planè non intelligo præſertim cùm in plurimis ab ijs diſſenſerint.

Quartam Eccleſię notam hęreticorum Eccleſię non conuenire, nempe non eſſe illam Apoſtolicam euidens eſt. Neque enim in ipſorum Eccleſijs quis cui ſucceſſerit valent demonſtrare. Sed Lutherum pri- Vvittembergæ, Caluinum Genuæ, OEcolampadium Baſileæ exortos fateri coguntur, qui omnes nemini ſuccedentes à ſeipſis ordinati ſunt, vt de Nouato ſcribit Cyprianus lib. 1. pro epiſt. 6. ante med. de ſe naſci voluerunt, vt de Donatiſtis ſcribit Optatus lib. 1. contra Parmen. ac proinde ad Eccleſiam pertinere non poſſunt, nec ſuam doctrinam ab Apoſtolis habere. Adde quod cùm Lutherus & Caluinus ſe ex Eccleſiâ proripuerunt, in iſtis duabus vrbibus Epiſcopi Catholici, qui Apoſtolicis viris ſucceſſerant, reſidebant. Sed aiunt hæretici ſucceſſionem Paſtorum tum demùm veram Eccleſiam arguere, ſi cum ſucceſſione veritas religionis retineatur non aliter.

Quaſi verò vel nos in præſentiâ, vel longè ante Patres, qui hoc argumento ſucceſſionis perpetuò vſi ſunt, veritatem fidei à ſucceſſione Epiſcoporum ſeiunxerint. Illud interim certum eſt Epiſcoporum ſucceſſionem & Paſtorum ad veræ Eccleſiæ conſtitutionem requiri, quamuis ſola non ſufficiat, adeo vt vbi ea deſit, ſicuti iam apud proteſtantes deeſſe conuincimus, ibi vera Eccleſia reſidere nulla ratione queat. Neque enim vera doctrina abſque Doctoribus conſiſtere, nęque oues abſque paſtoribus longo ſaltem temporeupereſſe valent. Chriſtus enim dedit paſtores & Doctores ad ædificationem corporis ſui, donec occurramus omnes in vnitatem fidei & agnitionis filij Dei, vt habetur ad Epheſios 4. verſu 11. Et ſicut Eutaxia atque ordo in regno abſque rege & legum cuſtodiâ abſque principe durare diu non poteſt, ita nec in Eccleſiâ Hierarchia illa prorſus Eccleſiæ neceſſaria, & doctrinæ integritas, atque incolumitas abſque Epiſcopis conſiſtere poteſt, quod ipſum

Digitized by Google

ratione conuictus Caluinus apertè fatetur lib. 4. inſt. cap. 8. numer
Sequuntur [inquit] *Paſtores & Doctores quibus careri nunquam poteſt Eccl*

Quintam Eccleſiæ notam, nempe legitimam Paſtorum ordinat nem & vocationem ipſorum Eccleſiæ non conuenire probatur. N cùm à nobis probatum ſit ad Eccleſiæ conſtitutionem Epiſcopos & ſtores requiri, & quidem huiuſmodi, qui à Deo miſſi ſunt, imò & cati legitimè ac ordinati. Illud à Luthero, Caluino, Knoxio, Cra mero & proteſtantibus omnibus quærimus: quis eos ad nouam Ec ſiam erigendam miſerit & vocarit? Non enim cuiuſuis eſt operario vineam Domini mittere, ſi autem ſe miſſos & à Deo quidem voc dicant, tum vlteriùs & illud interrogamus: Hęc eorum vocatio ac miſſio ordinariane ſit an extraordinaria: extraordinariam ſi reſpo rint, vt Beza in colloquio Poſſiaco anno 1562. & Miniſtri Geneue in tractatu de Eccleſiâ cap. 5. huius ſuæ miſſionis teſtimonium ex rimus. Cùm enim lex Deuteronomij 17. verſu 6. vetet vnius hom teſtimonio, quod aduerſus alterum fertur, adhiberi ſidem, ac m minùs ferendum ſit, vt cuiquam in ſuâ cauſa credatur, oportet qui ſe à Deo miſſum aſſerit, habere teſtimonium aut planè diui quod ſupra naturam ſit, aut certè humanum quod ſtet in ore duo aut trium teſtium, alioqui non Dei nuncius & Apoſtolus, ſed di legatus iure optimo cenſebitur. Adde quod Chriſtus Seruator n quamuis vnigena eſſet Dei, nón putaret ſatis eſſe, vt diceret ſe mi à Deo Patre, niſi etiam per miracula & ipſas etiam diuinas liter ipſum comprobaſet, vt videre eſt Ioannis 5. & 6. 39. Præterea qui tuntur extra ordinem non poſſunt in doctrina ſua errare vnquan labi. At Lutherus & Caluinus tam turpiter lapſi ſunt, vt ipſorum cipulos aliquos errores ipſorum defendere puduerit. Si ordinaria cant, citabimus illos ad ſucceſſionem oſtendendam, & ab illis Tertulliano lib. præſcrip. cap. 31. exigemus vt edant origines Eccl rum, euoluant ordines Epiſcoporum ſuorum.

Sextam Eccleſię notam hęreticorum Eccleſię non conuenire, cl eſt. Nam proteſtantium dogmata non ſancta ſed prorſus impia non poteſt meliùs probari quàm ea in medium afferendo quę ſan fidei repugnant: illos autem talia dogmata habere luce clariu Nam in primis Caluinus lib. 3. inſt. cap. 11. 14. 17. & 18. ſolam fide ſtificare tenet. Addit fidem ſemel habitam non poſſe àmitti, qu ctrina ad omnia ſcelera portam aperit patentiſſimam. Quęro e Caluino num fide hac inſtructus poſſit fornicari vel non. Si dica

Digitized by Google

poſſe, contradicit experientiæ, alijſque ſuis paradoxis, quibus docet hominem non poſſe vitare peccatum & iuſtiſſimum in omnibus operibus ſuis peccare mortaliter. Si dicat poſſe, peto num hoc peccatum fidem expellat vel non. Si affirmet, ſibi contrarius erit, quia vt vidimus. Docet fidem ſemel habitam non poſſe amitti; & vlteriùs fateri cogitur fidelem per ſingula peccata: imò per ſingula opera quæ apud ipſum peccata ſunt fieri infidelem. Si neget, vt certè negare debet, cùm dicat veram fidem amitti non poſſe, ſequitur eum adhuc æquè iuſtum eſſe ac priùs, quia adhuc retinet fidem quæ ſola iuſtificat: adeoque nulla peccata nocere poſſunt illi qui fidem retinet, quod exprſsè concedit Lutherus lib. de libertate Chriſtiana.

Secundò idem Caluinus lib. 3. inſtit. cap. 14. & 16. tenet nullum peccatum imputari fideli: quis igitur fidelis peccatum timebit? Docet etiam mandata eſſe impoſſibilia lib. 2. inſtit. cap. 7. quis igitur ea implere contendet? Docet Deum authorem eſſe peccatorum lib. 1. inſt cap. 17. 18. & lib. 2. cap. 4. & lib. 3. cap. 23. & libro contra libertinos. quis igitur peccata erubeſcet, quæ non minus ſunt Dei quàm hominis opera? Docet voluntatem noſtram neceſſariò peccare, hominemque nullum prorſus habere liberum arbitrium lib. 3. cap. 23. docet nullum ab homine quantumuis iuſto bonum opus fieri vel exerceri poſſe, lib. 3. cap. 14. cui ergo ſuaderi poteſt euitare quod ſe vitare non poſſe credit? Docet Chriſtianum liberum eſſe ab omni lege lib. 2. cap. 7. & lib. 3. cap. 19. Cuius ergo animum ſcrupulus alicuius legis ſiue diuinæ ſiue humanæ torquere poteſt, quando ſe nulla lege in conſcientiâ teneri profiteatur.

Septimam ſeu vltimam Eccleſiæ notam hæreticorum ſynagogæ non conuenire probatur. Nam de hæreticis quod Tertullianus lib. de præſcriptionibus de Valentinianis & Marcionitis ſcribit, audacter pronuntiamus, *Mentiamur ſi non à regulis ſuis variant inter ſe, dum vnuſquiſque perinde ſuo arbitrio modulatur quæ accepit, quemadmodum ex arbitrio ea compoſuit ille qui tradidit. Idem licuit Valentinianis quod Valentino, Martionitis, quod Martioni* (ſeu Lutheranis quod Luthero, Caluinianis quod Caluino] *de arbitrio ſuo fidem innouare.* De noſtro autem adijcimus, mentiamur, ſi non inter ſe diſcordes, cùm priſcis hæreticis vnanimes, cum tota antiquitate pugnantes, & in patres contumelioſi exiſtant: quæ ne à nobis aſſerta potius quàm probata videantur ſingula, ſingula principio ab eo quod extremo loco poſuimus, ſumpto demonſtremus: ac Lutherus quidem eorum non modo doctrinam reprehendit, ſed etiam co-

Digitized by Google

tijs onerat & inſectatur. Ait enim lib. de ſeruo arbitrio, *Patr ſæculorum planè cæcutiſſe, imperitiſsimos fuiſſe ſacrarum literarum, tota erraſſe, & niſi ante mortem reducti fuerint; neque ſanctos fuiſſe, neque ad cleſiam pertinere.* Et lib. de colloquijs menſalibus apud Aurifabr *Hieronymus fidei & veræ religionis ne ſemel quidem in ſuis ſcriptis meminit rigine miam olim excommunicaui, Chryſoſtomum nullo modo habeo, nihil eſt e niſi loquaculus Baſilius planè nihil valet, totus eſt monachus, ego ne pili i facio. Apologia Philippi ſuperat omnes Doctores & ipſum Auguſtinum.* T tumdem de Patribus habet homo omnium maledicentiſſimus Ioan Caluinus qui lib. 4. inſtit. cap. 22. ſect. 9. Patres quædam ſuperſtiti ſemina iecisse & occaſionem tyrannidi, quæ poſtea exorta eſt, p buiſſe, non dubitat aſſeuerare de libero arbitrio (lib. 2. cap. 2. ſect. quod cum Eccleſia docuerunt, frigidam & deformatam Theolog ait tradidiſſe, in doctrina de ſatisfactione (lib. 3. cap. 4. ſect. 38.) raſſe turpiter, in oratione (lib. 9. cap. 5. ſect. 10.) pro defunctis mandato Dei & legitimo exemplo deſtitutos fuiſſe. Hæc & ſimili his nebulonibus referre piget & pudet cùm piæ aures ne audire qui ſuſtineant. Verùm in his omnibus quid faciunt quæſo aliud q noſtram Eccleſiam, cùm primitiua illa eandem ſuam artem patr vt diſſentientem, aliam atque diuerſam oſtendere? Quod autem reticorum Eccleſia vna ſit cum hæreticorum veterum Eccleſijs p quia eorum errores reuocauit ab inferis eorum ſequitur doctrin exoſculatur errores, Ac in primis ſolam fidem ad ſalutem ſatis eſſe lunt, in eaque iuſtitiam conſiſtere: quod idem & Simon Magus a Irenæum lib. 1. contra Val cap. 20. & etiam Eunomius apud Augu num hæreſi 54. voluerunt. Reijciunt ſacrum Chriſma, reiecer Donatiſtæ & Nouatiani teſte Auguſtino lib. 3. de hæreticorum fab Sanctorum cultum, reliquias, & imagines non tolerant, nec Vigi tius teſte Hieronymo contra Vigilantium. Orandi & ſacrificar defunctis conſuetudinem inſectantur, inſectati ſunt Aeriani, X & Armeni apud ſanctum Damaſcenum lib. de hæreſ. Nicephoru 16. hiſt. cap. 6. & alios. Negant & execrantur Miſſæ ſacrificium, garunt & execrati ſunt Petrobuſiani apud Petrum Cluniacenſem l de ſacrificio Miſſæ. Verba Dominicæ cœnæ ad tropum ſymbolum referunt, & manducationē ſpiritualē vrgent, & retulerunt & vrſe Berengarius, & Vicleuiſtæ, &c. Quod verò hæretici nullam vnita fidei inter ſe habeant, ſed planè ſint diſcordes patet, nam ſe inu appellant hæreticos Lutherani Caluiniſtas, alij alios, vt fuſiùs v

Digitized by Google

eſt apud Gaſparum Vlenbergium in 11. cauſâ cap. 10. Placet tamen aliqua ex illis hic commemorare, ac in primis Lutheranorum iudicium de Sacramentarijs, ex libris ipſorum depromptum commemorabo. Zuinglium (qui poſt Caroloſtadium huius ſectæ Princeps & auctor eſt) Lutherus [tom. 3. Ien.) per contemptum quaſi ſalsè ridendo magnum Chriſtophorum atque Gigantem Tigurinum, ſuperbumque heroa vocat; quin publicè de illo ſcribit in confeſſione de cœna Domini, item in libro quod verba cœnę adhuc firma ſtent &c. *Quod contumaciter & malitiosè contra Dei verbum agat; quod peruerſus euaſerit, vt eum tanquam notorium hæreticum fugere oporteat: quod Chriſtum penitus amiſerit, neque de illa Chriſtianæ religionis parte rectè doceat, &c.*

Sic & Caluinum Lutherani. Inter alios Ioannes Sehuitz in ſerpente antiquo, item 50. cauſis &c. Et Alberus contra Caroloſtadianos vocant *Tumultuoſum Spiritum, veteratorem? nebulonem, ſophiſtiam Sebuuernierum, ſeductorem omnium aſtutiſſimum & callidiſſimum; qui nouum loquendi modum ex inferno protulerit, & plus damni dederit* Euangelio, *quàm omnes qui ante eum Sacramentarij fuerunt: qui diabolorum plenus, atque à maligno Spiritu inebriatus fuerit; ferum atque furioſum Schuuermerum, mendacem vanumque hominem, deprauatorem ac corruptorem ſcripturarum, qui peruertat Dei verbum, & ſacram ſcripturam ſtercore ſuo commaculet, in eaque noti ſecus agat, quàm ſus in horto amœniſſimo, &c.*

Iam audiamus Caluini & aliorum de Lutheranis iudicium. Caluinus igitur in libellis contra Ioachinum Vveſtphalum Hamburgenſem Lutheranos depingit, vbi *Vertiginoſos homines, Cyclopes, ſuperbam factionem Gigantum, latratores freneticos, beſtias, proteruos, faſtuoſos & pertinaces* appellat. Huc pertinet & Ioannis Campani teſtimonium, qui de Luthero confidenter ait. *Quàm certum eſt Deum eſſe Deum, tam eſt certum Lutherum diabolicum eſſe doctorem.* Idem eſt iudicium Memnonis, Simonij, & aliorum.

Eodem modo inter ſe certant Caluiniſtæ, Armeniani cum Gommariſtis, Gommariſtæ cum Armenianis, Puritani cum alijs, vt omnibus notum eſt: Puritani enim (vt alia omittam) teſte Bancofto in libro periculoſarum propoſitionum, & Succliffo etiam in reſponſione ad calumnioſos articulos vocant Cantuarienſem Pſeudoepiſcopum, principem dæmoniorum, Caipham, Eſau monſtroſum, Antichriſtianum Papam, & beſtiam, &c. Denique vix vllus Caluiniſta inuenitur, qui Caluinum in omnibus ſequatur. Cùm igitur vt vidimus, inter ſe hæretici diſſentiant, quis alius exitus expectandus eſt, niſi quem prædixit

Oſeas 10. verſu. 2. *Diuiſum eſt cor eorum nunc interibunt*. Cùm præſertin à Chriſto quoque dictum ſit, quod omne regnum in ſeipſum diuiſun deſolabitur.

Ex his ſatis conſtat prædictas notas Eccleſiæ hæreticorum Synagogæ non conuenire: ſupereſt ergo vt Eccleſiæ Catholicæ Romanæ conue niant. Et certè ita eſſe facile erit cuiuis inductione videre, eſt enim cla ra & omnibus conſpicua, non vnius Prouinciæ, ſed per orbem terra rum diffuſa, antiqua, vna &c. Hinc ſequitur Eccleſiam Catholican Romanam eſſe veram Eccleſiam, cùm ea ſit vera Eccleſia, cui conue niunt notæ veræ Eccleſiæ.

CAPVT SECVNDVM.

§. 1.us

OSTENDITVR VERAM ECCLESIAM NON POSSE ERRARE IN REBVS FIDEI, NEC POSSE ESSE INVISIBILEM.

ECcleſiam Chriſti non poſſe errare in rebus fidei multis & euiden tiſſimis argumentis oſtendi poteſt. Ego reliquis relictis aliqua cla riſſima hic apponam.

Primò ergo Eccleſiam non poſſe errare in rebus fidei probatur ex ab ſurdis. Primum eſt, ſi Eccleſia errare poſſet in rebus fidei ipſe Chriſtu & Spiritus ſanctus errarent & impia docerent, & ratio eſt quia doctri na Eccleſiæ non tam eſt doctrina Eccleſiæ quàm Chriſti & Spiritus ſan cti Lucæ 10. verſu. 16. *Qui vos audit* (inquit Chriſtus] *me audit*. Et Io annis 14. verſu 26. *Paraclitus Spiritus ſanctus quem mittet Pater in nomi meo, ille vos docebit omnia*. Denique & Deus ipſe apud Prophetam Ec cleſiam alloquens affirmat ſpiritum ſuum eſſe in Eccleſià, & ſe poſuiſ verba ſua in ore Eccleſiæ, quæ ex ore Eccleſiæ nunquam recedent à mo do & vſque in ſempiternum. Secundum abſurdum eſt quod ædificiu conſiſteret ſine fundamento: nam fides Chriſti eſt fundamentum Ec cleſiæ. *In fide* (inquit Apoſtolus ad Coloſſenſes 1. verſu 23.] *fundati*. I ad Epheſios 2. verſu 20. docet fundatam eſſe Eccleſiam ſuper doctrina Apoſtolorum & Prophetarum. Porro ſublato fundamento neceſſe e vt ædificium corruat. Hoc abſurdum eſt adeo manifeſtum, vt optin

Digitized by Google

notauit Gordonius 1. tomo controuerſiarum, vt illud coegerit Caluinũ lib. 4. inſtitutionum cap. 2. ſectione 1. fateri hoc ipſum quod docemus ex ſancti Pauli verbis liquidò conuinci. *Si fundamentum* (inquit) *Eccleſiæ eſt Prophetarum & Apoſtolorum doctrina, illam doctrinam tolle: quomodo amplius ædificium conſtabit?* Tertium abſurdum eſt quia falſum eſſet ſymbolum Apoſtolorum in quo credimus ſanctam Eccleſiam Catholicam: nam ſancta eſſe non poteſt illa quæ fide caret, quæ impia docet, & quæ cogit homines ad Idololatriam.

Secundò probatur Eccleſiam non poſſe errare duplici ex capite. Primũ ex apertâ contradictione & repugnantiâ, quæ eſt in Sectariorum doctrinâ, nam dum contendunt verám Eccleſiam errare in fide re verâ neſciunt quid dicant. Illa enim ſola eſt vera Chriſti Eccleſia, quæ Chriſti nomen & ſynceram fidem retinet. Illa autem falſa eſt Chriſti Eccleſia, quæ nomen duntaxat Chriſti profitetur, ſed in fide Chriſti errat. Dicere igitur veram Eccleſiam Chriſti errare in fide, eſt dicere veram Eccleſiam non eſſe veram ſed falſam, quæ planè ſunt pugnantia. Secundum caput eſt ex conceſſis ab ipſis aduerſarijs, nam communis eorum doctrina eſt notas ſeu ſigna veræ Eccleſiæ eſſe ſynceram prædicationem verbi Dei, & legitimam adminiſtrationem Sacramentorum, ſine quibus docent veram Eccleſiam conſiſtere non poſſe. Neceſſe eſt ergo vt admittant veram Eccleſiam in fide & fidei prædicatione non errare, neque enim poteſt Eccleſia illa ſyncerè prædicare verbum Dei quæ in fide & fidei prædicatione turpiſſimè errat.

Tertiò probatur ex Ioannis 14. *Ego rogabo Patrem meum & alium paraclytum dabit vobis.* Ioannis 17. *Pater ſancte ſerua eos in nomine tuo, quos dediſti mihi.* Ex quibus locis habemus Spiritum ſanctum non deſerere Eccleſiam, ſed ſpiritus ſancti miniſterio illam regi. 1. ad Timotheum 3. Eccleſia dicitur columna & firmamentum veritatis. Quomodo ergo poteſt errare?

Ex his probatum manet Eccleſiam non poſſe errare, ſupereſt iam vt videamus an poſſit eſſe inuiſibilis. Non poſſe breuiter ſic oſtendo ex Iſaiæ 61. verſu 8. & 9. vbi ait Dominus, *Fœdus perpetuum feriam eis & ſcient* (id eſt ſcietur Hebraica phraſi) *in gentibus ſemen eorum in medio populorum: omnes qui viderint eos cognoſcent illos, quia iſti ſunt ſemen cui benedixit Dominus.* Vbi apertè dicitur quod omnes etiam gentes infideles, cùm primùm aſpicient Eccleſiam cognoſcent illam facillimè ex beneficijs ipſi à Deo collatis. Caluinus ipſe in hæc verba Iſaiæ agnoſcit hoc dici de Eccleſiâ: & addit neque ſemel tantùm hoc impletum eſſe, ſed quo-

Digitized by Google

nis 10. verſu 12. gregem paſtoribus deſtitutum neceſſariò perire. *M[ercenarius]* (inquit) *fugit lupus rapit & diſpergit oues*. Epiſcopos autem h[u]ius gregis eſſe paſtores patet ex capite 20. Act. Apoſtolorum verſu [28.] *Attendite vobis & vniuerſo gregi, quos Spiritus ſanctus poſuit Epiſcopos re[gere] Eccleſiam Dei*. Hi tamen Paſtores & vocari debent & ordinari. *Ne[c] enim quiſquam ſumit ſibi honorem, ſed qui vocatur à Deo tanquam Aaron*. [ad] Hebræos 5. verſu 4. Et *Quomodo prædicabunt niſi mittantur?* Ad Rom[a]nos 10. verſu 15. Ordinari autem non poſſunt niſi illâ manuum imp[o]ſitione, de quâ Apoſtolus loquebatur 1. ad Timotheum 5. cùm dice[ret] *Manus nemini impoſueris*. Sed nec quæcunque & à quocunque adhib[ita] manuum impoſitio ordinationi ſufficit, ſed ea neceſſariò requiri[tur] quæ ab Epiſcopis fit, quod cùm vſus in Eccleſiâ conſeruatus indic[at] tùm etiam vocabulum illud præſbyteri in loco Pauli paulò ante alla[to] comprobat, quod cœtum Epiſcoporum ſignificare Chryſoſtomus [ho]miliâ 14. in cap. 4. 3. ad Timotheum tom. 3. Theophilactus in co[m]mentarijs eius loci, OEcumenius & alij authores ſunt.

Sexta pars noſtræ aſſertionis, nempe quod Eccleſia debeat eſſe ſan[cta] probatur. Nam eatenus Eccleſia dicitur ſancta, quatenus Chriſti ſ[an]guine tincta eſt. Præterea quia non niſi intra eius ſepta Sancti in[ue]niuntur, vel denique ſancta dicitur & veriſſimè, quia fides quâ Ec[cle]ſiæ membra inter ſe coaleſcunt, ſancta fit & ſacra. Hac ratione fid[eles] in diuinis literis ſanctorum nomine appellantur frequentiſſimè, vt [Act.] 9. verſu 13. & 26. verſu 10. & ad Romanos 12. verſu 13. Sunt & [aliæ] cauſæ quamobrem ſancta dicatur Eccleſia, quibus prætermiſſis ob[iter] notabis non ideo ſanctam dici, quod peccatores atque reprobos p[enitus] reijciat, ſed propter tres allatas rationes.

Septima propoſitionis pars, nempe quod vnitas ſit Eccleſiæ n[ota] probatur Nam in Symbolo eidem attribuitur, & in diuinis literi[s re]uenitur. Hanc enim ſignificat ſponſus in Canticis cap. 6. verſ. 5. [di]mans. *Vna Columba mea, perfecta mea*. Hanc etiam expreſſit Apoſt[olus] ad Epheſios 4. verſu 4. cùm dixit, *Vnum corpus, vnus ſpiritus, ſicut v[ocati] eſtis in vnâ ſpe vocationis veſtræ*. Ad hanc etiam vnitatem conſeruan[dam] datos à Chriſto fuiſſe Apoſtolos, Prophetas, Doctores Paulus Ap[oſto]lus ad Epheſios 4. docet, *Vt occurramus* (inquit) *omnes in vnitatem [fidei ...] ne circumferamur omni vento doctrinæ*. Atque hæc de Eccleſię notis di[cta] ſufficiat.

Digitized by Google

§. 4.us

OSTENDITVR PRÆDICTAS PROPRIETATES HÆRETICORVM SYNAGOGÆ NON CONVENIRE, SED ECCLESIÆ CATHOLICÆ, ROMANÆ, ET EAM ESSE VERAM ECCLESIAM.

PRædictas proprietates & notas hæreticorum Synagogæ non conuenire per ſe euidens eſt. Et primam quidem illis non conuenire vel ipſi teſtes locupletiſſimi ſunt. Nam eorum aliqui, tantùm abeſt vt veram Eccleſiam illuſtrem faciant, vt prorſus inuiſibilem conſtituant, quod tam fraudulenter faciunt & ad ſuum tegendum errorem, & Catholicorum obiectiones euitandas, quibus eos moleſtare ſolent, dum vbinam eorum Eccleſia totos mille & ampliùs annos latuerit, quęrunt. Ita Caluinus in præfatione inſt. poſt med. *Non parum à vero* (inquit) *aberrant dum Eccleſiam non agnoſcunt: niſi quam præſenti oculo cernant.* Et infra. *Fremunt niſi Eccleſia Dei ſemper oſtendatur.* Et rurſum in prologo contra Sotum. *Quin potiùs permittamus Domino, vt quando ipſe ſolus nouit qui ſui ſunt, interdum etiam Eccleſiæ ſuæ exteriorem notitiam ab hominum aſpectu auferat.*

Secundam etiam notam ipſorum Synagogæ non conuenire patet, quia nec fuit nec eſt per orbem diffuſa. Hanc obiectionem ſi Sectarij fouere volent, oſtendant oportet ſectam ſuam longè latéque per orbem terrarum diffuſam, quod nunquam valebunt, cùm certum ſit, eandem in paucis Septentrionis regionibus eſſe concluſam, mare nunquam pertranſiſſe, in Africà, Aſià, præcipuis orbis partibus de eà nunquam auditum. Quin etſi quod abſit, virus hoc peſtiferum ad plurimas Prouincias ſe diffunderet, non ideo magis eſſet Eccleſia, quoniam non vna proteſtantium eſt ſecta, ſed tot tamque inter ſe pugnantes; vt magis à ſe inuicem, quàm à Catholicis in plurimis diſſideant. Vnde pulchrè Auguſtinus docet lib. de Paſtoribus cap. 8. Eccleſiam eſſe vbique; & hæreſim eſſe aliquando vbique, ſed Eccleſiam vnam & eamdem eſſe vbique, hæreſes autem non eaſdem, ſed diuerſas, quę ſe non nouerunt.

Tertiam etiam notam proteſtantium Eccleſiæ non conuenire probatur: Nam recenter exortam eſſe ipſorum Eccleſiam luce clarius eſt. Tempus enim & locum vbi orta, quis ei reſtiterit, quis eam damnarit, oſtendere poſſumus. Cœpit enim Lutherus hæreſes ſuas promulgare

Digitized by Google

anno 1517. Vvitenbergæ, qui ſubitò vt exortus eſt, à Leone ſumm
Pontifice condemnatus, ab Eckio, Cochleo, alijſque confutatus fu
Vbi etiam cœperit Caluinus, & quo tempore certum etiam eſt, de q
re vide Hieronymum Bolſecum in eius vitâ. Quin & ipſi ſuam docti
nam nouam, nec ſemper fuiſſe teſtantur & fatentur, Apologiæ eni
Anglicanæ verba ſunt, *In medijs illis tenebris exoriri primùm cœpiſſe,*
lucere radium aliquem, ignotæ tamen & inauditæ veritatis, cùm Martin
Lutherus, & Vdalricus Zuinglius præſtantiſsimi viri, & ad illuſtrandum o
bem terrarum dati, primo acceſsiſſent ad Euangelium. Theodori etiam Be
vox eſt, dum vitam Caluini deſcribit, *Vni Caluino poſt Chriſtum & Ap*
ſtolos deberi etiam veram & germanam de cœna Domini intelligentiam. S
quoniam ſe perimi proteſtantes alij animaduertunt, & Eccleſiæ ſu
principium fateri eſſe Eccleſiam è medio tollere: aliam euadendi r
mam commenti ſunt: quæ tamen vſque adeo anguſta eſt, vt dum tra
ire ſatagunt, diſrumpantur. Aiunt enim Eccleſiam ſuam ſemper fui
cùm ſacræ ſcripturæ auctoritate nitatur, ac proinde nouam non eſ
ſed illam ipſam quam Chriſtus fundauit, per multa ſæcula latui
incognitam. ſed hoc eſt Eccleſiam Typhonij ſpecum, aut Antichri
& non lucernam illam, quam Chriſtus Mathæi 5. In candelabro po
tam ait, vt luceret omnibus qui in domo ſunt efficere. Hoc eſt Eccle
Aerij fingere, qui ſeparatus ab omnibus Eccleſijs ac ciuitatibus,
ſcribit Epiphanius hæreſi 75. in ſyluis cum ſuis latitabat. Adde qu
Eccleſia illa latens vel fidem ſuam profitebatur, vel non, ſi profiteb
tur non erat latens, ſed manifeſta, & talis aliqua profeſſio fidei ab or
nium ætatum ſcriptoribus memoriæ prodita fuiſſet. Si non profiteb
tur, certè Eccleſia Chriſti non erat: prædicatio enim fidei ipſorum ſe
tentia eſt vera Eccleſiæ nota, quæ ſi ibi fuit, fuit etiam & confeſſio fid
Supereſt adhuc vnus euadendi modus, qui & ille aduerſarius præcl
dendus eſt; fuiſſe nimirum in orbe Chriſtiano per omnes ætates al
quot fideles notos & aſpectabiles, qui eadem cum ipſis ſenſerint, e
nimirum veram Eccleſiam extitiſſe. Sed contra hoc eſt. Et primùm
ab aduerſarijs peto, quibus tandem argumentis hos extitiſſe om
ætate canifeſtos comprobabunt? quænam ſacramenta, quibus,
quando hæc Eccleſia miniſtrauit? quam exercuit diſciplinam? quib
& vbi verbum Dei prædicauit? quibus obſtitit hæreticis? quas Syn
dos conuocauit? quæ templa ad religionis munus, aut ad doctrina
extruxerit ſcholas? ſine enim his omnibus quænam Eccleſia eſſe p
teſt? Præterea ſi qui tales extiterint olim etiam veniente Caluino

Digitized by Google

Luthero extitiſſent, & proinde ipſis comparantibus ad illos conuolaſſent, eoſque vt ſocios cognouiſſent, at non ita factum eſt. Nam omnes qui ſunt Lutherani fuerunt ex noſtris, & omnes qui ſunt Caluiniſtæ fuerunt etiam ex noſtris antea, nihilque de noua illa Caluini aut Lutheri doctrinâ ante ipſorum aduentum cogitàrunt. Si autem qui retroactis temporibus extiterunt, hæretici ipſi, vt modo proteſtantes, habiti ſunt, vt Marſilius de Padouâ, Viclef, Hus, Hieronymus Apraga, quos ſuos eſſe volunt Melanchton, & Fulcus, qui tam pauci tamen ſunt, vt non ante multos hos annos, quâ ratione ex ijs, Eccleſiam ſuam ſemper fuiſſe aſſerant, planè non intelligo præſertim cùm in plurimis ab ijs diſſenſerint.

Quartam Eccleſię notam hęreticorum Eccleſię non conuenire, nempe non eſſe illam Apoſtolicam euidens eſt. Neque enim in ipſorum Eccleſijs quis cui ſucceſſerit valent demonſtrare. Sed Lutherum Vvittembergæ, Caluinum Genuæ, OEcolampadium Baſileæ exortos fateri coguntur, qui omnes nemini ſuccedentes à ſeipſis ordinati ſunt, vt de Nouato ſcribit Cyprianus lib. 1. pro epiſt. 6. ante med. de ſe naſci voluerunt, vt de Donatiſtis ſcribit Optatus lib. 1. contra Parmen. ac proinde ad Eccleſiam pertinere non poſſunt, nec ſuam doctrinam ab Apoſtolis habere. Adde quod cùm Lutherus & Caluinus ſe ex Eccleſiâ proripuerunt, in iſtis duabus vrbibus Epiſcopi Catholici, qui Apoſtolicis viris ſucceſſerant, reſidebant. Sed aiunt hæretici ſucceſſionem Paſtorum tum demùm veram Eccleſiam arguere, ſi cum ſucceſſione veritas religionis retineatur non aliter.

Quaſi verò vel nos in præſentiâ, vel longè ante Patres, qui hoc argumento ſucceſſionis perpetuò vſi ſunt, veritatem fidei à ſucceſſione Epiſcoporum ſeiunxerint. Illud interim certum eſt Epiſcoporum ſucceſſionem & Paſtorum ad veræ Eccleſiæ conſtitutionem requiri, quamuis ſola non ſufficiat, adeo vt vbi ea deſit, ſicuti iam apud proteſtantes deeſſe conuincimus, ibi vera Eccleſia reſidere nulla ratione queat. Neque enim vera doctrina abſque Doctoribus conſiſtere, neque oues abſque paſtoribus longo ſaltem tempore ſupereſſe valent. Chriſtus enim dedit paſtores & Doctores ad ædificationem corporis ſui, donec occurramus omnes in vnitatem fidei & agnitionis filij Dei, vt habetur ad Epheſios 4. verſu 11. Et ſicut Eutaxia atque ordo in regno abſque rege & legum cuſtodiâ abſque principe durare diu non poteſt, ita nec in Eccleſiâ Hierarchia illa prorſus Eccleſiæ neceſſaria, & doctrinæ integritas, atque incolumitas abſque Epiſcopis conſiſtere poteſt, quod ipſum

Digitized by Google

ratione conuictus Caluinus apertè fatetur lib. 4. inſt. cad. 8. numero
Sequuntur [inquit] *Paſtores & Doctores quibus careri nunquam poteſt Eccle*

Quintam Eccleſiæ notam, nempe legitimam Paſtorum ordinat
nem & vocationem ipſorum Eccleſiæ non conuenire probatur. N
cùm à nobis probatum ſit ad Eccleſiæ conſtitutionem Epiſcopos & l
ſtores requiri, & quidem huiuſmodi, qui à Deo miſſi ſunt, imò & v
cati legitimè ac ordinati. Illud à Luthero, Caluino, Knoxio, Cra
mero & proteſtantibus omnibus quærimus: quis eos ad nouam Ecc
ſiam erigendam miſerit & vocarit? Non enim cuiuſuis eſt operario
vineam Domini mittere, ſi autem ſe miſſos & à Deo quidem voca
dicant, tum vlteriùs & illud interrogamus: Hęc eorum vocatio at
miſſio ordinariane ſit an extraordinaria: extraordinariam ſi reſpon
rint, vt Beza in colloquio Poſſiaco anno 1562. & Miniſtri Geneuer
in tractatu de Eccleſiâ cap. 5. huius ſuæ miſſionis teſtimonium exe
rimus. Cùm enim lex Deuteronomij 17. verſu 6. vetet vnius hom
teſtimonio, quod aduerſus alterum fertur, adhiberi fidem, ac m
minùs ferendum ſit, vt cuiquam in ſuâ cauſa credatur, oportet e
qui ſe à Deo miſſum aſſerit, habere teſtimonium aut planè diuir
quod ſupra naturam ſit, aut certè humanum quod ſtet in ore duo
aut trium teſtium, alioqui non Dei nuncius & Apoſtolus, ſed dia
legatus iure optimo cenſebitur. Adde quod Chriſtus Seruator n
quamuis vnigena eſſet Dei, nón putaret ſatis eſſe, vt diceret ſe mi
à Deo Patre, niſi etiam per miracula & ipſas etiam diuinas liter
ipſum comprobaſet, vt videre eſt Ioannis 5. & 6. 39. Præterea qui
tuntur extra ordinem non poſſunt in doctrina ſua errare vnquan
labi. At Lutherus & Caluinus tam turpiter lapſi ſunt, vt ipſorum
cipulos aliquos errores ipſorum defendere puduerit. Si ordinarian
cant, citabimus illos ad ſucceſſionem oſtendendam, & ab illis
Tertulliano lib. præſcrip. cap. 31. exigemus vt edant origines Eccl
rum, euoluant ordines Epiſcoporum ſuorum.

Sextam Eccleſię notam hęreticorum Eccleſię non conuenire, cla
eſt. Nam proteſtantium dogmata non ſancta ſed prorſus impia
non poteſt meliùs probari quàm ea in medium aſſerendo quę ſanc
fidei repugnant: illos autem talia dogmata habere luce clariu
Nam in primis Caluinus lib. 3. inſt. cap. 11. 14. 17. & 18. ſolam fide
ſtificare tenet. Addit fidem ſemel habitam non poſſe àmitti, qu
ctrina ad omnia ſcelera portam aperit patentiſſimam. Quero e
Caluino num fide hac inſtructus poſſit fornicari vel non. Si dica

Digitized by Google

poſſe, contradicit experientiæ, aliiſque ſuis paradoxis, quibus docet hominem non poſſe vitare peccatum & iuſtiſſimum in omnibus operibus ſuis peccare mortaliter Si dicat poſſe, peto num hoc peccatum fidem expellat vel non. Si affirmet, ſibi contrarius erit, quia vt vidimus. Docet fidem ſemel habitam non poſſe amitti; & vlteriùs fateri cogitur fidelem per ſingula peccata: imò per ſingula opera quæ apud ipſum peccata ſunt fieri infidelem. Si neget, vt certè negare debet, cùm dicat veram fidem amitti non poſſe, ſequitur eum adhuc æquè iuſtum eſſe ac priùs, quia adhuc retinet fidem quæ ſola iuſtificat: adeoque nulla peccata nocere poſſunt illi qui fidem retinet, quod expreſsè concedit Lutherus lib. de libertate Chriſtiana.

Secundò idem Caluinus lib. 3. inſtit. cap. 14. & 16. tenet nullum peccatum imputari fideli: quis igitur fidelis peccatum timebit? Docet etiam mandata eſſe impoſſibilia lib. 2. inſtit. cap. 7. quis igitur ea implere contendet? Docet Deum authorem eſſe peccatorum lib. 1. inſt cap. 17. 18. & lib. 2. cap. 4. & lib. 3. cap. 23. & libro contra libertinos. quis igitur peccata erubeſcet, quæ non minus ſunt Dei quàm hominis opera? Docet voluntatem noſtram neceſſariò peccare, hominemque nullum prorſus habere liberum arbitrium lib. 3. cap. 23. docet nullum ab homine quantumuis iuſto bonum opus fieri vel exerceri poſſe, lib. 3. cap. 14. cui ergo ſuaderi poteſt euitare quod ſe vitare non poſſe credit? Docet Chriſtianum liberum eſſe ab omni lege lib. 2. cap. 7. & lib. 3. cap. 19. Cuius ergo animum ſcrupulus alicuius legis ſiue diuinæ ſiue humanæ torquere poteſt, quando ſe nulla lege in conſcientiâ teneri profiteatur.

Septimam ſeu vltimam Eccleſiæ notam hæreticorum ſynagogæ non conuenire probatur. Nam de hæreticis quod Vertullianus lib. de præſcriptionibus de Valentinianis & Marcionitis ſcribit, audacter pronuntiamus, *Mentiamur ſi non à regulis ſuis variant inter ſe, dum vnuſquiſque perinde ſuo arbitrio modulatur quæ accepit, quemadmodum ex arbitrio ea compoſuit ille qui tradidit. Idem licuit Valentinianis quod Valentino, Martionitis, quod Martioni* (ſeu Lutheranis quod Luthero, Caluinianis quod Caluino] *de arbitrio ſuo fidem innouare.* De noſtro autem adiicimus, mentiamur, ſi non inter ſe diſcordes, cùm priſcis hæreticis vnanimes, cum tota antiquitate pugnantes, & in patres contumelioſi exiſtant: quæ ne à nobis aſſerta potius quàm probata videantur ſingula, ſingula principio ab eo quod extremo loco poſuimus, ſumpto demonſtremus: ac Lutherus quidem eorum non modo doctrinam reprehendit, ſed etiam co-

Digitized by Google

tijs oberat & inſectatur. Ait enim lib. de ſeruo arbitrio, *Patr ſæculorum planè cæcutiſſe, imperitiſſimos fuiſſe ſacrarum literarum, tot. erraſſe, & niſi ante mortem reducti fuerint; neque ſanctos fuiſſe, neque ad cleſiam pertinere.* Et lib. de colloquijs menſalibus apud Aurifab *Hieronymus fidei & veræ religionis ne ſemel quidem in ſuis ſcriptis meminit rginem iam olim excommunicaui, Chryſoſtomum nullo modo habeo, nihil eſt niſi loquaculus Baſilius planè nihil valet, totus eſt monachus, ego ne pili facio. Apologia Philippi ſuperat omnes Doctores & ipſum Auguſtinum.* T tumdem de Patribus habet homo omnium maledicentiſſimus Ioan Caluinus qui lib. 4. inſtit. cap. 22. ſect. 9. Patres quædam ſuperſtiti ſemina iecíſſe & occaſionem tyrannidi, quæ poſtea exorta eſt, p buiſſe, non dubitat aſſeuerare de libero arbitrio (lib. 2. cap. 2. ſect. quod cum Eccleſia docuerunt, frigidam & deformatam Theolog ait tradidiſſe, in doctrina de ſatisfactione (lib. 3. cap. 4. ſect. 38. raſſe turpiter, in oratione (lib. 9. cap. 5. ſect. 10.) pro defunctis mandato Dei & legitimo exemplo deſtitutos fuiſſe. Hæc & ſimili his nebulonibus referre piget & pudet cùm piæ aures ne audire qui ſuſtineant. Verùm in his omnibus quid faciunt quæſo aliud q noſtram Eccleſiam, cùm primitiua illa eandem ſuam artem patr vt diſſentientem, aliam atque diuerſam oſtendere? Quod autem reticorum Eccleſia vna ſit cum hæreticorum veterum Eccleſijs p quia eorum errores reuocauit ab inferis eorum ſequitur doctrin exoſculatur errores, Ac in primis ſolam fidem ad ſalutem ſatis eſſe lunt, in eaque iuſtitiam conſiſtere; quod idem & Simon Magus Irenæum lib. 1. contra Val cap. 20. & etiam Eunomius apud Aug num hæreſi 54. voluerunt. Reijciunt ſacrum Chriſma, reiecerui Donatiſtæ & Nouatiani teſte Auguſtino lib. 3. de hæreticorum fab Sanctorum cultum, reliquias, & imagines non tolerant, nec Vigi tius teſte Hieronymo contra Vigilantium. Orandi & ſacrificand defunctis conſuetudinem inſectantur, inſectati ſunt Aeriani, X & Armeni apud ſanctum Damaſcenum lib. de hæreſ. Nicephorum 16. hiſt. cap. 6. & alios. Negant & execrantur Miſſæ ſacrificium garunt & execrati ſunt Petrobuſiani apud Petrum Cluniacenſem de ſacrificio Miſſæ. Verba Dominicæ cœnæ ad tropum ſymbolum referunt, & manducationẽ ſpiritualẽ vrgent, & retulerunt & vrle Berengarius, & Vicleuiſtæ, &c. Quod verò hæretici nullam vnita fidei inter ſe habeant, ſed planè ſint diſcordes patet, nam ſe inui appellant hæreticos Lutherani Caluiniſtas, alij alios, vt fuſiùs v

eſt

eſt apud Gaſparum Vlenbergium in 11. cauſâ cap. 10. Placet tamen aliqua ex illis hic commemorare, ac in primis Lutheranorum iudicium de Sacramentarijs, ex libris ipſorum depromptum commemorabo. Zuinglium (qui poſt Caroloſtadium huius ſectæ Princeps & auctor eſt) Lutherus [tom. 3. Ien.) per contemptum quaſi ſalsè ridendo magnum Chriſtophorum atque Gigantem Tigurinum, ſuperbumque heroa vocat; quin publicè de illo ſcribit in confeſſione de cœna Domini, item in libro quod verba cœnę adhuc firma ſtent &c. *Quod contumaciter & malitiosè contra Dei verbum agat; quod peruerſus euaſerit, vt eum tanquam notorium hæreticum fugere oporteat: quod Chriſtum penitus amiſerit, neque de illa Chriſtianæ religionis parte rectè doceat, &c.*

Sic & Caluinum Lutherani. Inter alios Ioannes Sehuitz in ſerpente antiquo, item 50. cauſis &c. Et Alberus contra Caroloſtadianos vocant *Tumultuoſum Spiritum, veteratorem ? nebulonem, ſophiſtiam Sebuuernierum, ſeductorem omnium aſtutiſsimum & callidiſsimum; qui nouum loquendi modum ex inferno protulerit, & plus damni dederit* Euangelio, *quàm omnes qui ante eum Sacramentarij fuerunt: qui diabolorum plenus, atque à maligno Spiritu inebriatus fuerit; ferum atque furioſum Schuuermerum, mendacem vanumque hominem, deprauatorem ac corruptorem ſcripturarum, qui peruertat Dei verbum, & ſacram ſcripturam ſtercore ſuo commaculet, in eaque noti ſecus agat, quàm ſus in horto amœniſsimo, &c.*

Iam audiamus Caluini & aliorum de Lutheranis iudicium. Caluinus igitur in libellis contra Ioachinum Vveſtphalum Hamburgenſem Lutheranos depingit, vbi *Vertiginoſos homines, Cyclopes, ſuperbam factionem Gigantum, latratores freneticos, beſtias, proteruos, faſtuoſos & pertinaces* appellat. Huc pertinet & Ioannis Campani teſtimonium, qui de Luthero confidenter ait. *Quàm certum eſt Deum eſſe Deum, tam eſt certum Lutherum diabolicum eſſe doctorem.* Idem eſt iudicium Memnonis, Simonij, & aliorum.

Eodem modo inter ſe certant Caluiniſtæ, Armeniani cum Gommariſtis, Gommariſtæ cum Armenianis, Puritani cum alijs, vt omnibus notum eſt: Puritani enim (vt alia omittam) teſte Bancofto in libro periculoſarum propoſitionum, & Succliffo etiam in reſponſione ad calumnioſos articulos vocant Cantuarienſem Pſeudoepiſcopum, principem dæmoniorum, Caipham, Eſau monſtroſum, Antichriſtianum Papam, & beſtiam, &c. Denique vix vllus Caluiniſta inuenitur, qui Caluinum in omnibus ſequatur. Cúm igitur vt vidimus, inter ſe hæretici diſſentiant, quis alius exitus expectandus eſt, niſi quem prædixit

Digitized by Google

notauit Gordonius 1. tomo controuerſiarum, vt illud coegerit Caluinū lib. 4. inſtitutionum cap. 2 ſectione 1. fateri hoc ipſum quod docemus ex ſancti Pauli verbis liquidò conuinci. *Si fundamentum* (inquit) *Eccleſiæ eſt Prophetarum & Apoſtolorum doctrina, illam doctrinam tolle: quomodo amplius ædificium conſtabit?* Tertium abſurdum eſt quia falſum eſſet ſymbolum Apoſtolorum in quo credimus ſanctam Eccleſiam Catholicam: nam ſancta eſſe non poteſt illa quæ fide caret, quæ impia docet, & quæ cogit homines ad Idololatriam.

Secundò probatur Eccleſiam non poſſe errare duplici ex capite. Primū ex apertâ contradictione & repugnantiâ, quæ eſt in Sectariorum doctrinâ, nam dum contendunt verâm Eccleſiam errare in fide re verâ neſciunt quid dicant. Illa enim ſola eſt vera Chriſti Eccleſia, quæ Chriſti nomen & ſynceram fidem retinet. Illa autem falſa eſt Chriſti Eccleſia, quæ nomen duntaxat Chriſti profitetur, ſed in fide Chriſti errat. Dicere igitur veram Eccleſiam Chriſti errare in fide, eſt dicere veram Eccleſiam non eſſe veram ſed falſam, quæ planè ſunt pugnantia. Secundum caput eſt ex conceſſis ab ipſis aduerſarijs, nam communis eorum doctrina eſt notas ſeu ſigna veræ Eccleſiæ eſſe ſynceram prædicationem verbi Dei, & legitimam adminiſtrationem Sacramentorum, ſine quibus docent veram Eccleſiam conſiſtere non poſſe. Neceſſe eſt ergo vt admittant veram Eccleſiam in fide & fidei prædicatione non errare, neque enim poteſt Eccleſia illa ſyncerè prædicare verbum Dei quæ in fide & fidei prædicatione turpiſſimè errat.

Tertiò probatur ex Ioannis 14. *Ego rogabo Patrem meum & alium paraclytum dabit vobis.* Ioannis 17. *Pater ſancte ſerua eos in nomine tuo, quos dediſti mihi.* Ex quibus locis habemus Spiritum ſanctum non deſerere Eccleſiam, ſed ſpiritus ſancti miniſterio illam regi. 1. ad Timotheum 3. Eccleſia dicitur columna & firmamentum veritatis. Quomodo ergo poteſt errare?

Ex his probatum manet Eccleſiam non poſſe errare, ſupereſt iam vt videamus an poſſit eſſe inuiſibilis. Non poſſe breuiter ſic oſtendo ex Iſaiç 61. verſu 8. & 9. vbi ait Dominus, *Fœdus perpetuum feriam eis & ſcient* (id eſt ſcietur Hebraica phraſi) *in gentibus ſemen eorum in medio populorum: omnes qui viderint eos cognoſcent illos, quia iſti ſunt ſemen cui benedixit Dominus.* Vbi apertè dicitur quod omnes etiam gentes infideles, cùm primùm aſpicient Eccleſiam cognoſcent illam facillimè ex beneficijs ipſi à Deo collatis. Caluinus ipſe in hæc verba Iſaiæ agnoſcit hoc dici de Eccleſiâ: & addit neque ſemel tantùm hoc impletum eſſe, ſed quo-

tidie impleri. 2. Sic diſputo contra Sectarios. Perinde eſt aſſerere Eccleſiam eſſe inuiſibilem, & aſſerere prorſus eam interijſſe, quod eſt abſurdiſſimum. Quod perinde ſit facile oſtenditur, Nam inuiſibilis iſta Eccleſia quam ponunt Sectarij, nulli prodeſſe poteſt, cùm illa à nullo agnoſcatur niſi à ſolo Deo: iuxta illud Apoſtoli, *Cognouit Dominus qui ſunt eius.* Solos enim prædeſtinatos volunt aduerſarij ad hanc inuiſibilem Eccl. pertinere, qui ſoli Deo noti ſunt, cęteris omnibus ignoti. Huc etiam ſpectat quod non potuerint illi eſſe ſancti & prædeſtinati, qui fuerunt tot ſęculis elapſis in illa inuiſibili Eccleſiâ, ad quam confugiunt Sectarij: nam iſti (ſi qui fortaſſe fuerunt) neque auſi ſunt Chriſtum publicè confiteri, nec Euangelium palam prædicare, ſed metu humano percuſſi, omnia fucatè, ſimulatè, & per hypocriſim egerunt ne proderentur, aut ab alijs agnoſcerentur. Porro expreſsè dixit Chriſtus, *Qui me erubuerit & meos ſermones; hunc filius hominis erubeſcet cùm venerit in maieſtate ſuâ.* Lucæ 9. verſu 26.

---

§ 2.us

OSTENDITVR S. PETRVM SVPER OMNES APOSTOLOS PRINCIPATVM GESSISSE, FVISSEQVE ECCLESIÆ CHRISTI CAPVT.

SAnctum Petrum Apoſtolorum fuiſſe Principem, & veræ Eccleſiæ caput euidenter probari poteſt ex illo Mathæi 16. *Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam.* Quibus verbis promittit ædificaturum ſe Eccleſiam ſuam ſuper Petrum. Ædificare autem Eccleſiam ſuam ſuper petram Petrum nempe, nihil aliud eſt quàm Petrum tanquam fundamentum in Eccleſię ædificio conſtituere: quod tanquam ſaxum immobile (vt ait Ambroſius ſermone 47.) totius operis Chriſtiani compagem, molemque contineat. Si autem fundamentum Petrus primum profectò locum in ędificio habere debet (à fundamento enim incipit Dominus) is à nullâ etiam ædificij parte dependebit, ab ipſo tamen vniuerſæ; vt quę eius opes ſubſiſtant, inuicemque aptè cohæreant. Petro igitur tanquam baſi nitentur huius ædificij columnæ, & robora Apoſtoli videlicet cæteri, non modò partes minutiores, alij nimirum Paſtores, ouiumque tota multitudo. Hanc ampliſſimam poteſtatem quam hic Chriſtus Dominus ſancto Petro promittit cœlos conſcenſurus tradidit, *Paſce* (inquiens) *oues meas.* Quæ verba cùm ter

Petri in ſe amorem varia interrogatione exploraſſet, ter quoque repetijt, ne quem gregi ſuo præfici vellet, dubitari à quopiam poſſet. Vt autem conſtaret ſe neminem etiam Apoſtolorum ex ouium numero eximere præcipuis Apoſtolorum præſentibus & audientibus eadem ad Petrum proloquutus eſt. Deinde paſcendi vocabulo vſus eſt, vt illud ipſum, quod ante promiſerat, neque minus ſe Petro iam dare ſignificaret. Idem enim eſt Paſtor erga ſuum gregem, quod Petra erga reliquum ædificium: nam ille gregem regit & à ferarum immanitate defendit, & iſta ædificium ſuſtentat, ne vi ventorum aut aquarum impetu ruat.

Denique vt alia omittam ſancti Petri principatus clariſſima teſtimonia in rebus ab eo geſtis clariſſimè cernitur eius Principatus, & quidem actorum 1. cùm ipſe congruum ac rationi conſentaneum eſſe iudicaſſet, vt in locum Iudæ aliquis ſufficeretur, habuit ſuper ea re concionem ad reliquam tum naſcentis Eccleſiæ multitudinem: atque id ipſum fieri debere oſtendit. Quod factum exponens Chryſoſtomus homiliâ 3. in act. Luc. 22. *Quam agnoſcit* [inquit) *ſibi creditum à Chriſto gregem! quàm in hoc choro princeps eſt, & vbique primus omnium incipit loqui! Et tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos.* Verùm, inquies, ſi primus Petrus, cur id ſibi non ſumpſit, vt aliquem ipſe ſufficeret ſolus, ſed ad ſocios rem totam retulit? Huic tuæ dubitationi ſatisfaciet idem Chryſoſtomus homiliâ 3. in act. 51. in Math. *Quid*, inquit, *an non licebat ipſi Petro eligere? licebat & quidem maximè: verùm id non fecit ne cui videretur gratificari.*

Huic confine eſt & illud quod Petrus primus omnium, Act. 2. accepto Spiritu ſancto concionatur pœnitentiam, & Eccleſiam verbo Euangelij fundat, vt notauit Ambroſius ſermone 47. & poſt eum Euthymi⁹. Vbi etiam & illud aduertendum, quod ſeparatim à cæteris exprimatur. *Stans* (inquit ſcriptura) *Petrus cum duodecim..* Quod etiam alibi contingit, vt Mathei 16. act. 5. 1. Cor. 9. act 3. Cur ita ſeiungeret eum ſcriptura à cæteris, ſi non maior in eo quam in ceteris fuiſſet auctoritas? Multa alia argumenta clariſſima omitto, quæ apud recentiores fuſiùs videri poſſunt.

Digitized by Google

§. 3.us

PROBATVR NON MINVS VNIVERSÆ CHRISTIANÆ ECCLESIÆ ALIQVEM PRÆESSE DEBERE, QVAM OLIM PRÆFVERIT SANCTVS PETRVS,

Vbi etiam oſtenditur talem eſſe Pontificem Romanum.

CAluinus libro 4. inſtitutionum cap. 6. ſectione 8. vi veritatis (pugnax alioqui atque acer] victus, tandem hæc verba extulit. *Verùm vt de Petro* (inquit) *illis concedam quod petunt, fuiſſe ſcilicet Apoſtolorum Principem, & dignitate ac primatu reliquos antecelluiſſe* (quomodo id negare poteſt homo qui Chriſtum non fuiſſe mentitum ſibi perſuadeat?) *non eſt tamen cauſa cur ex ſingulari exemplo vniuerſalem regulam faciant, & quod ſemel factum fuit ad perpetuitatem trahant.* Cuius hypotheſeos vt pars prior eſt veriſſima: ita poſterior falſiſſima: ſunt enim rationes grauiſſimæ, cur quod ſemel in Petro diuinitus factum eſt, perpetuum ſit. & perenne: & permaneat quod in ipſo Chriſtus inſtituit, vt ſancti Leonis verbis vtar ſermone 2. de aſſump. ſuã ad Pontif. Quemadmodum permanet quod in Chriſto Petrus credidit. Et quidem in primis illud à Caluino ſcire percupio, cũ hanc regulã in ſacris literis explicandis retinendã negare nequeat: vt quæ Dominus Apoſtolis cõmendauit æquè congruentia fidelibus vniuerſis, eadem futuris Chriſtianis omnibus commendata ſint, vt illud Mathæi 13. *Qui habet aures audiendi audiat: eſtote prudentes ſicut ſerpentes*, Et pari ratione quæ Dominus Apoſtolis loquutus eſt, ad ipſos quidẽ ſpectantia quatenꝰ Eccleſiæ ſacerdotes, hæc non ad fideles omnes, ſed ad reliquos in Eccleſia futuros ſacerdotes, referuntur, vt illa Ioannis 20. *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur, &c.* cùm inquam hanc regulam obſeruandam in vniuerſum ſentiat, cur non eamdem in ijs, quæ ad Petrum à Chriſto dicuntur exponendis ſequitur. Ita vt quæ Petro cum cæteris fidelibus congruunt, vt illud Mathæi 18. *Si peccauerit in te frater tuus, corripe illum &c.* Iiſdem quoque communia ſint: Quæ autem eidem vt Apoſtolorum Primati & Eccleſiæ Paſtori propria, cuipiam etiam poſterorum qui Petro ſuccedat, accommodentur, vt illud Ioannis 21. *Paſce oues meas*, & alia his ſimilia quibus iam oſtendimus Petrum à Chriſto in Eccleſiâ Principem conſtitutum: aut aſſignet rationem aliquam cur in illis hæc regula ſequenda ſit, in his verò minimè? ſi aſſignarit, vicerit; ſin minus aſſi-

Digitized by Google

gnare poterit (vt re verâ non poterit) victus eſt: & contrarium eius quod aſſeruit, iure optimo affirmabo, causã eſſe videlicet cur ex ſingulari exemplo vniuerſalẽ regulã faciamus, & quod ſemel factum fuit in Petro ad perpetuitatem trahamus. Premamus adhuc amplius. Petro dicitur, *Paſce oues meas.* Paſtor, eius officij nomen eſt, quod tamdiu omnino perdurat, quamdiu ipſum ouile ratione cuius paſtor dicitur. At hoc perpetuum eſt & perenne, paſtor ergo perpetuus quoque debet eſſe & perennis. Præterea paſtoris vocabulum non extraordinariam quamdam regendi poteſtatem (vt Prophetarum, Euangeliſtarum, Apoſtolorum communiter) certis ſolum temporibus neceſſariam atque congruam notat, ſed ordinariam. Quæ autem ordinaria ſunt, omnium conſenſu per ſucceſſionem ad poſteros tranſmittuntur. Cum igitur veriſſimum eſſe à nobis ſupra ſit probatum, paſtoris vniuerſalis munus ſoli Petro illis verbis, *Paſce oues meas*, eſſe commiſſum, quâ fronte negare poteſt Caluinus, illud officij genus in vnum quempiam eſſe tranſlatum poſterorum, perpetuis temporibus permanſurum, tamdiu ſcilicet, quamdiu oues Chriſti in terrâ perdurarint.

Præterea Petri fidem Chriſtus ſtabiliuit ita vt nunquam deficeret, vt poſſit fratres ſuos confirmare, & roborare, Luc. 22. Fratres autem Petri non ſolum Apoſtoli, ſed etiam omnes fideles fuerunt, & proinde à Petro confirmandi. At Petrus non potuit omnes præſens confirmare, vt pote moriturus: per ſucceſſorem igitur hoc præſtare debuit. Si quis tamen nomine fratrum Apoſtolos ſolos intelligat, quos Petrus confirmare debuerit, argumentum adhuc vim ſuam obtinet. Neque enim hac confirmatione Eccleſia præſens minùs indiget, quàm tum Apoſtoli indigebant, imò verò & multò magis, vt pote quæ paſtores, nec tum in fide, vt Apoſtoli fuerunt, conſtantes, nec tanta vitæ ſanctimoniâ conſpicuos habeat.

Accedit quod ſi in Apoſtolis, qui primitias ſpiritus acceperunt, vt vnitas ſeruaretur, capite opus erat, multò magis id ipſum neceſſarium erit in Eccleſiâ per orbem terrarum longè lateque diffuſa, præſertim cùm dubitari non poſſit, quin Apoſtoli ſic fuerint gratiâ Chriſti roborati, vt vnitatem eam, quæ planè neceſſaria eſſet, conſeruare haud difficulter poſſent.

Ex his probatum manet non minùs iam Eccleſię Chriſti aliquem præeſſe debere, quàm olim præfuerit S. Petrus. Quod autem is ſit Romanus Pontifex, euidens eſt eadem nimirum ratione, qua Epiſcoporum omnium, quotquot per orbem terrarum longè latéque diffuſi ſunt, iu-

riſdictio, & in alios poteſtas perquiritur, ordinaria videlicet & legitima in eadem Epiſcopali cathedra ſucceſſione, quæ ex perpetuo Eccleſiæ vſu & conſuetudine tantum ſubſequenti conciliat auctoritatis, quantum qui præceſſit obtinuit. Deſpiciendum igitur eſt quis D. Petro in cathedra Epiſcopali ſucceſſerit, vt quęnam eiuſdem in Eccleſiam vniuerſam à Chriſto conceſſa maneat auctoritas, intelligamus. Inter Antiochenum Epiſcopum & Romanũ lis tota eſt: quæ facilè tamen dirimitur, & Romano (etiamſi cum ſuis gregalibus diſrumpatur Caluinus) manet victoria. Nam vt omittam illud quod ſanctus Marcellus affirmat epiſtola 1. ad Antiochenos, Anacletus in epiſtola ad omnes Epiſcopos & præſbyteros 3. Hieronymus in libro de viris illuſtribus, tractans curſum vitæ Apoſtolorum Principis, Damaſus in vitâ D. Petri & alij Petri ſedem iubente Domino Romam eſſe tranſlatam (quod minùs mirum videbitur ei qui Eccleſiam Hieroſolymitanam vt in ciuitatem Pellam transferrent, voce Domini admonitos apud Euſebium lib. 3. hiſtoriæ cap. 5. Epiphanium & alios.) vt inquam hoc prætereãm Antiochenus agnoſcit Romanum Pontificem eſſe Petri ſucceſſorem, & proinde facilè paſſus eſt ſe Romano Pontifici poſtponi, quod ſemper eſt obſeruatum: & Nicæna Synodus Canone 6. ratum atque firmum manere voluit.

Sed ſi negare vellet, habemus pro nobis totius orbis conſenſum, qui Romanum Pontificem Petri ſucceſſorem perpetuò confitetur. Vnde in concilio Epheſino 1. vocatur Cœleſtinus Pontifex ordinarius D. Petri ſucceſſor: in Calcedonenſi ſanctus Leo Papa dicitur Principis Apoſtolorum præditus dignitate.

Hinc eſt quod Priſci illi Patres Romanorum Pontificum frequentiſſimè texentes ſeriem vſque ad ſua tempora ad hæreticos redarguendos à Petro ſemper ordiuntur. Irenæus lib 3. contra Valen. cap. 3. Optatus Mileuitanus lib. 2. contra Parm. Epiphanius hæreſi 27. Auguſtinus lib. 1. epiſt. 1. lib. 4. Epiſt. 2. & alij. Quid? quod D. ipſe Petrus, ne dubitari à quopiam poſſet Romanum Pontificem ſuum re vera vnicum atque ſolum eſſe ſucceſſorem, Clementem, iam morti vicinus, Romanum Epiſcopum ordinauit? Quod idem teſtatur Clemens E. 1. ad Iacob. & lib. 7. conſtit. capite vltimo.

CAPVT TERTIVM

CAPVT TERTIVM.

§. I.us.

A QVO PETENDVS VERVS SACRÆ SCRIPTVRÆ SENSVS.

DE rectè indaganda verâ & germana ſcripturæ ſacræ interpretatione præſens eſt quæſtio, in qua hæretici varia docent.

Sarauia proteſtans in defenſione trad. &c. ait Spiritum ſanctum qui Eccleſijs præſidet verum eſſe ſcripturarum interpretem, ab eoque petendam eſſe veram ſcipturæ interpretationem.

Rolloeus lib. de vocatione efficaci videtur aſſerere non eſſe opus aliâ luce, quàm quæ eſt ipſius ſcripturæ propria ad ſcripturæ verum ſenſum dignoſcendum. Alij alia docent, & vnus quidem plures, àlius pauciores adducit regulas. Verùm vbi omnes attulerint fatentur tamen nullum eſſe, qui in inueſtiganda ſacræ ſcripturæ vera interpretatione aliquando non errauerit. Neque enim vel antiquis patribus vel ſuis magiſtris in omnibus aſſentiuntur: ſed neque vllum aſſignare poſſunt, quem non agnoſcant aliquando erraſſe aut errare potuiſſe, cùm, vt alij aiunt, omnis homo mendax ſit. Atque ita tandem omnia dubia & incerta relinquunt.

At longè aliter Catholici ſenſum certum & indubitatum ſcripturæ ſacræ non à iudicio alicuius particularis hominis ſumendum docent verum ab vnanimi conſenſu antiquorum Patrum. Atque adeo à iudicio & interpretatione ſcripturæ vt docet ſacro-ſanctum concilium Tridentinum ſeſſione 4. idque rectiſſimè. Neque enim dubitare quiſquam poteſt, quin multò tutius ſit illum ſequi interpretem, qui errare non poteſt, quàm illum qui identidem errat, aut certè errare poteſt: Eccleſia autem in ſuo iudicio errare non poteſt, vt ſupra latè probauimus.

Quod attinet ad Nouatores qui ſequi volunt in ſcripturis interpretandis ductum ſpiritus, quæro ab illis qua ratione vel nobis, vel ſibi ipſis perſuadeant (ſe ſequi ductum ſpiritus Dei non autem diaboli cùm omnes hæretici hoc ſpiritu ſe præditos eſſe autument? Quod ſi dicant hos ſpiritus per ſcripturam diſcernendos, quæro rurſus vnde habeant hanc eſſe veram ſcripturam, & ſi reſpondeant per ſpiritum priuatum, cōmittunt circulum. Ecce quomodo in circuitu impij ambulant pſa. 11.

Quod autem attinet ad illos qui dicunt vnum ſcripturæ locum exponi poſſe per alium facilè refelluntur. Nam ſi hoc ita eſt, cur ipſi non obſtante collatione ſcripturarum ita diſſentiunt in multis locis ſcriptu- interpretandis

Concludo hanc quæſtionem obſeruando nihil ſolidum, nihil certum contineri in ſacris literis iuxta aduerſariorum doctrinam, quia cùm omnia ex vero literæ ſenſu pendeant & apud eos nullus ſit certus & fidus modus inueniendi hunc ſenſum: conſequenter omnia quę in ſacris literis ſunt in dubium reuocant.

§. 2.us.

QVOMODO DIGNOSCENDÆ SINT SACRÆ SCRIPTVRÆ CANONICÆ A NON CANONICIS.

CAluinus lib. 1. inſtitutionum cap. 7. ſectione 2. in fine aſſerit fideli tam facile eſſe Canonicam ſcripturam à non Canonica diſtinguere quàm ſit videnti facile lucem à tenebris diſcernere, aut album à nigro.

Verùm hoc non ſolùm rationi, ſed etiam experientiæ aduerſatur. nam conſtat & olim inter fideles, imò inter viros pios & celebres, vt videri eſt apud Cardinalem Bellarminum lib. 1. de verbo Dei cap. 17. & 19. fuiſſe non paruam controuerſiam de nonnullis libris tum veteris tum noui teſtamenti; & etiam nunc eſſe inter illos quos ipſi Sectarij fideles exiſtimant, id quod ipſe idem Caluinus agnoſcit in præfat. ante epiſtolam S. Iacobi & ante epiſtolam ad Hebræos. Porro cùm hoc ſatis videant eius ſectatores: vt Paræus in diſputatione de auctoritate ſcripturarum, Rupellana confeſſio art. 4. & alij, imò & ipſe Caluinus lib. 1. inſtitutionum cap. 7. numero 4. confugiunt ad ſpiritum ſuum particularem vel peculiarem quo præcipuè ſe perſuaderi & moneri dicunt, vt hos recipiant libros ſcripturæ, non autem ſolo Eccleſiæ conſenſu. Quare ſi quæramus à Caluino vnde ſciat epiſtolam Iacobi eſſe Canonicam & ſine controuerſiâ amplectendam: ſi à Luthero vnde eamdem tanquam ſtramineam, ſpuriam & Apoſtolico ſpiritu indignam, vt ipſe illam appellauit, dignouerit? Reſpondebit vterque ſe hic quamuis contraria ſpiritu docente cognouiſſe.

Verùm cum omnes iſti ſpiritus æquè ſint nobis ignoti, putantur illuminati hi hæretici nos adeo eſſe ſtupidos, vt illis tamen omnibus cre-

dere velimus? Certè cum ſpiritus ipſi non ſint ſpiritus pacis & vnionis non poſſunt eſſe ſpiritus Dei, Et cum ſinguli hunc ſpiritum iactitent, quis iudex determinabit quis cui præferendus ſit? Tandem Caluinus ait maieſtatem literæ & phraſim facilè indicare ſcripturæ libros non ab alio quàm Dei ſpiritu dictatos fuiſſe, ſic lib. 1. inſtitutionum cap. 8 paragrapho 1 2 10.

Sed putatne hic nequam hæreticus homines eſſe ſtatuas & truncos ſtupidos, qui nihil intelligunt, nam ſcripturæ phraſis non eadem ſemper eſt cum eloquentior fuerit Paulus ad pedes Gamalielis edoctus, quàm alij Apoſtoli piſcatores; & aliter loquatur Iſaias in aula Regiâ, aliter Amos ad caulas gregum educatus. Sententioſiores etiam ſunt Salomon & Iob quam alij ſcriptores, vt manifeſtum eſt. Deinde phraſis ſcripturæ varia eſt ob varias tranſlationes, quæ etiam inter nouatores ſunt dubiæ, vt non immeritò ſereniſſimus M. Britanniæ Rex Iacobus in ſumma collationis Hamptonienſis pag 46. ingenuè fateatur ſe nunquam vidiſſe inter nouatores geminam tranſlationem, Genuenſem autem omnium eſſe peſſimam. Quomodo ergo ex phraſi vel literà dignoſci poteſt ſcriptura? Certè ſi ex phraſi iudicandum eſt de ſcripturâ, per vnum librum ſcripturæ omnes alios reijciam, vt pote ab illo in phraſi diſcordantes.

Confugiendum eſt ergo cum Catholicis ad Eccleſiam, ab eaque petendæ ſunt veræ ſcripturæ Canonicæ. Hanc fuiſſe fidem & doctrinam antiquæ Eccleſiæ teſtatur breuis illa ſed neruoſa ſententia D. Auguſtini (quem optimum ex tota antiquitate & fideliſſimum teſtem agnoſcit ipſe Caluinus lib. 4 inſtitutionum cap 14. ſectione vltima) *Ego* (inquit Auguſtinus contra Epiſtolam Manichæi cap. 5. tom. 6) *Euangelio non crederem, niſi me Catholicæ Eccleſiæ commoueret auctoritas.* Quem locum quamuis Caluinus lib. 1. inſtitutionum cap. 7. ſectione 3 [teſte Horantio lib. 2. locorum Catholicorum cap. 4.) conetur explicari, ita vt exiſtimet Auguſtinum loqui de ſeipſo adhuc Manichæo, non autem de ſe iam fideli & credente) ineptè tamen explicat, & planè ridiculum eſt effugium: nam verba quæ paulò poſt ſequuntur oſtendunt falſam eſſe hanc Caluini interpretationem. *Si ad Euangelium te tenes* [alloquitur S. Auguſtinus Manichæum] *ego ad eos me teneam quibus præcipientibus credidi Euangelio.* Loquitur ergo de ſe qui iam crediderat Euangelio. Et paucis interiectis. *Quorum auctoritate infirmata, iam nec Euangelio credere potero.* Vbi oſtendit fidem ita pendere ab auctoritate Eccleſiæ vt eâ infirmata vel ſublata non poſſit ampliùs ſubſiſtere vlla fides Euangelij. Ex

Digitized by Google

quo falſum eſſe clarum eſt quod ſcribit Iunius hæreticus S. Auguſtinum loqui duntaxat de causâ accidentaria, non de causâ per ſe neceſſaria. Alij dicunt Auguſtinum loqui de hoc vel illo libro Euangelij non de Euangelio in genere. Sed verba ipſa S. Auguſtini contrarium docent, quia vbique loquitur de Euangelio in genere. Deinde eadem eſt ratio vnius Euangelij & omnium.

§. 3.us.
AN SACRA SRIPTVRA SIT OBSCVRA.

QVæſtio eſt de verbo Dei ſcripto quod dicunt hæretici facile eſſe non obſcurum. Verùm tenendum omnino eſt ſcripturam difficilem eſſe & obſcuram. Probatur hæc catholica veritas 1. ex act. 8. *Quomodo poſſum intelligere* (inquit Eunuchus) *ſi nemo oſtenderit mihi?* Et ex Lu cæ 24. *Aperuit ſenſum vt intelligerent ſcripturas.*

Probatur 2. obijciendo aduerſarijs plurima loca obſcura, imò integra capita ex canticis canticorum, ex Ezechiele & alijs Prophetis.

Denique probatur ex Pet. 2.,. verſ. 16. vbi habetur in epiſtolis Diui Pauli eſſe quædam intellectu difficilia, quæ indocti & inſtabiles deprauant ſicut & cæteras ſcripturas ad ſuam ipſorum perditionem. Vide Coluillum in Parænesi pag. 47.

His argumentis conuicti multi hæreticorum & inter cæteros Beza, de notis Eccleſiæ volum. 3. pag. 137. edit. anni 1582. mutata ſententiâ fatentur non pauca loca eſſe obſcura in ſacris literis.

§. 4.us.
AN SCRIPTVRA SACRA ITA CONTINEAT NECESSARIA AD SALVTEM, VT NVLLÆ ADMITTI DEBEANT TRADITIONES,

AFfirmant Sectarij communiter, ſed dicendum eſt neceſſariò eſſe admittendas traditiones. Eſt Catholica ſententia,

Probatur 1. ex illo Pauli ad Teſſal. 2. 2. *Itaque fratres ſtate & tenete traditiones quas didiciſtis, ſiue per epiſtolam ſiue per ſermonem.* Quo in loco æqualiter commendat Apoſtolus & ſub eodem imperio tam quæ per

epiſtolam illis tradiderat, quàm quæ ore tenus ab eo acceperant. Tenete obligationis verbum eſt, quia imperatiuum. 2. Probatur etiam ex Teſſal. 4. *Rogamus* (inquit) *vos & obſecramus in Domino Ieſu, vt quemadmodum accepiſtis à nobis quomodo oporteat vos ambulare & placere Deo, ſic ambuletis, vt abundetis magis: Scitis enim quæ præcepta dederim vobis per Dominum Ieſum.* Ecce antequam ad eos aliquid ſcriberet Apoſtolus, tradidiſſe ſe illis aliqua memorat, quæ præcepta appellat. Quod ſi pręcepta ſunt neceſſitatem obſeruationis inducunt. Idem ferè dicit ad Corinth. 1. 11. Laudans eos ab obedientià traditorum præceptorum non ſcriptura, ſed verbo tenus acceptorum. Et idem facit in 1. epiſt. ad eos miſſa. *Laudo vos* (inquit) *Fratres, quod per omnia mei memores eſtis, & ſicut tradidi vobis præcepta mea tenetis.* Vbi iterum vides præcepta Corinthijs inculcata, quæ ſcriptura Canonica minimè conſtabant. Huc etiam pertinet depoſitum illud ſacro-ſanctum quod pœnes Timotheum idem Apoſtolus repoſuiſſe aſſerit, quod nonniſi ſanctarum traditionum recondita quædam doctrina erat, quod ipſum Tertullianus vult. Pauli verba ſunt. *O Timothee, depoſitum cuſtodi, deuitans profanas vocum nouitates &c.* De quo depoſito clarius idem Paulus meminit 2. cap. 2. epiſt. ad eundem. *Tu ergo* [inquit) *fili mi confortare in gratià quæ eſt in Chriſto Ieſu & quæ audiſti à me per multos teſtes hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt & alios docere.* Hic apertè vides & aliam reconditiorem doctrinam ſimplicioribus & imperfectioribus minimè communem coram teſtibus Timothæo diligenter à Paulo commendatam, quam etiam vult impartiri ſanctus Apoſtolus his qui ſufficienter ſunt alios docere. Hi ſunt loci in Paulo præcipui, qui ſine vllo inuolucro aut verborum multiplicitate, veritatem noſtrę aſſertionis oſtendunt. Occurrit tamen alius in Paulo locus neutiquam aſpernandus, 2. ad Teſſal. 3. quem pro ſeruando Eccleſiæ ordine allegat Cyprianus in fine epiſtolæ 3. ad Cornelium aduerſus Nouatianos, qui ſic habet. *Præcipimus vobis in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti vt recedatis ab omnibus fratribus ambulantibus inordinatè & non ſecundùm traditionem quam acceperunt à nobis.* Ecce Paulus excommunicat eos qui non ſecundùm Apoſtolicam traditionem viuebant: quod minimè faceret, ſi neceſſariæ obſeruationis Chriſtiano non eſſent.

Probatur ſecundo argumento quod meo iudicio efficax eſt: eſt autem huiuſmodi. Antequam Moyſes legem Iſraelitis traderet, peruetuſti illius ſæculi patres ab Abel vſque ad Moyſem veri cultus Dei doctrinam habuerunt, nulla Canonica adhuc ſtante ſcripturâ, ſed per iugem

Digitized by Google

ſucceſſionem à Patribus in filios, à filijs in nepotes deriuatam. Sacrificabat enim Abel; inuocabat nomen Domini Enoch, vt habetur Geneſ. 4. & 6. Colebat Deum pater iuſtorum Seth, Geneſ. 12. placebat Deo & holocauſta offerebat Noe, Geneſ. 20. Erigebant altaria & ſacrificia deuouebant Abraham & Iſaac, ſacrificabat etiam & vota Deo faciebat Iacob, Geneſ. 27. ſanctificabat ſe & filios ſuos Iob & holocauſtis Deum placabat. De quibus omnibus cùm nulla ſcriptura conſtaret, ecquis dicat traditione paterna hos ſanctos patres ductos non fuiſſe, cùm hæc & ſimilia faciebant. Quis rurſum eſt tam perfrictæ frontis homo, vt audeat hos patres venerandos Deo valde charos atque coiunctos, ſuper huiuſmodi inſtitutis damnare, quod ſine ſcripto verbo Dei huiuſmodi cultus excogitabant. Hic traditione docet etiam Dauid à ſenioribus ſuis ſe eſſe edoctum pſalmo 43. cùm dicit *Deus auribus noſtris audiuimus, Patres noſtri annunciauerunt nobis.* Hi ſunt termini quoſ tranſgredi prohibuit Salomon filium ſuum erudiens, *Ne transgrediaris* (inquit) *terminos quos poſuerunt patres tui* Hæ ſunt viæ antiquæ per quas Hieremias populum Dei incedere volebat, quando dicebat, *State ſuper vias & videte & interrogate de ſemitis antiquis, quæ ſit via bona, & ambulate in ea, & inuenietis refrigerium animabus veſtris.* Hæ ſunt denique propter quas dicebat Eccleſiaſticus, *Non te prætereat narratio ſeniorum, ipſi enim didicerunt à patribus ſuis: quoniam ab ipſis diſces intellectum, & in tempore neceſſitatis dare reſponſum.*

Probatur 3. ratione. Verbum Dei idem eſt, & eiuſdem auctoritatis ſiue ſcriptum ſit, ſiue tantùm ore traditum, ergo eadem fide ſuſcipiendum, ſi in Chriſti Eccleſiâ retentum ſit & conſeruatum. Antecedens ex ſe euidens eſt; nam materiale, vt ita loquar, non auget vel minuit auctoritatem loquentis, & ideo æqualiter dixit Apoſtolus Paulus ſiue per ſermonem, ſiue per epiſtolam; imò quod attentè conſiderandum eſt, Chriſtus non præcepit Apoſtolis vt ſcriberent, ſed vt prædicarent Euangelium omni creaturæ, Marci vltimo, & ſubdit, *Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſaluus erit, qui verò non crediderit condemnabitur.* Ergo verbum tantùm prædicatum etiamſi non ſit ſcriptum eſt verè verbum Dei. Vnde Paulus 1. ad Teſſal. 2. *Cùm accepiſſetis è nobis verbum auditus Dei, ſuſcepiſtis illud non tanquam verbum hominum, ſed vt eſt verè verbum Dei.* Eſt ergo certiſſimum verbum non ſcriptum eſſe æquè diuinum ac eſt ſcriptum, & eadem fide ſuſcipiendum.

Reſpondere poſſent huic argumento Sectarij, validum fore hoc argumentum ſi conſtaret aliquod eſſe verbum Dei non ſcriptum quod in

Digitized by Google

Eccleſiâ permanſerit, ſed nullum tale eſſe.

Sed contra. Nam D. Paulus 1. ad Corinth. 1. ſcribens dicit, *Cætera autem cùm venero diſponam.* quæ tamen non leguntur. ergo &c. 2. Ioannes in fine Euangelij ſui ait, *Sunt autem & multa alia, quæ fecit Ieſus, quæ ſi ſcribantur per ſingula, nec ipſum arbitror mundum capere poſſe eos qui ſcribendi ſunt libros.* ergo &c. 3. Euangeliſtæ omiſerunt aliquid, vt certum eſt ergo potuerunt ſimili modo alia multa omittere: antecedens clarum eſt, nam Act. 20. D. Paulus allegat dictum Chriſtum, *Oportet*, inquit, *meminiſſe verbi Domini Ieſu, quoniam ipſe dixit, Beatius eſt magis dare, quàm accipere.* quod tamen alibi in Euangelio non legitur. Denique vbi eſt liber bellorum Domini, de quo Num. 21.14.? Vbi ille ſermonum & dierum Salomonis de quo 3. Reg. 11. 41.? vbi denique epiſtola ad Laodicenſes de qua ad Colloſſenſes 4. 16?

Probatur denique ex patribus & imprimis ex D. Dionyſio Pauli Apoſtoli diſcipulo, Athenarumque, vt Euſebio placet, Epiſcopo, qui in primo capite lib. de Eccleſiaſtica Hierarchiâ inſigne de ſanctis traditionibus dat teſtimonium, vbi Timotheum ſuum de Eccleſiaſtica doctrina vult inſtruere. *Sacerdotij*, inquit, *noſtri functionem ſanctiſſime fili Timothee auguſtioris eſſe ac diuinæ & diuinitus indultæ ſcientiæ actioniſque ac perfectionis his qui ſacrationis doctrinæ inſtitutionem ex ſacerdotalibus myſterijs traditionibus acceperunt, de ſanctarum ſcripturarum maieſtate neceſſariò demonſtrare inſtitui.* Vides vtrumque genus doctrinæ miſceri à ſacro-ſancto hoc viro, vt præſulem iſtum erudiat, ſcripturas ſcilicet & traditiones quaſi vnum ſine altero perfectè conſtare non poſſit. Idem docet ſanctus Ignatius Ioannis Apoſtoli auditor, & à D. Petro in ſede Autiochena tertius, epiſtola ad Heronem loquens de quibuſdam Eccleſiaſticis ritibus, vt pote de carnium & vini abſtinentiâ diſtrictiſſimè commendat huiuſmodi obſeruanda quæ per traditionem in Eccleſiâ recepta ſunt. Quid ſi ſanctus hic Martyr reuiuiſceret ac videret ſæculi huius corruptiſſimos mores, religionis peruerſores, nefarios Apoſtolicorum traditionum violatores, quid illum dicturum fore autumas, quandoquidem eos qui vel præter ea quæ tradita eſſent dixiſſent quippiam, vſque adeo acriter inuehitur, vt lupos vocet ouium deuoratores. Idem docent reliqui omnes Patres qui apud alios videri poſſunt. Vnum Auguſtinum omittere non poſſum qui clariſſimè in libro de S. ſancto cap. 27. hoc docet. *Dogmata*, inquit, *quæ in Eccleſiâ ſeruantur ac prædicatur partim ex conſcripta doctrina habemus, partim ex Apoſtolorum traditione ad nos delata in myſterio recipimus, vtraque tamen eamdem ad pietatem vim habent, & nemo*

Digitized by Google

§. 3.us.

PROBATVR NON MINVS VNIVERSÆ CHRISTIANÆ ECCLESIÆ ALIQVEM PRÆESSE DEBERE, QVAM OLIM PRÆFVERIT SANCTVS PETRVS,

Vbi etiam oſtenditur talem eſſe Pontificem Romanum.

CAluinus libro 4. inſtitutionum cap. 6. ſectione 8. vi veritatis (pugnax alioqui atque acer] victus, tandem hæc verba extulit. *Verùm vt de Petro* (inquit) *illis concedam quod petunt, fuiſſe ſcilicet Apoſtolorum Principem, & dignitate ac primatu reliquos antecelluiſſe* (quomodo id negare poteſt homo qui Chriſtum non fuiſſe mentitum ſibi perſuadeat?) *non eſt tamen cauſa cur ex ſingulari exemplo vniuerſalem regulam faciant, & quod ſemel factum fuit ad perpetuitatem trahant.* Cuius hypotheſeos vt pars prior eſt veriſſima: ita poſterior falſiſſima: ſunt enim rationes grauiſſimæ, cur quod ſemel in Petro diuinitus factum eſt, perpetuum ſit & perenne: & permaneat quod in ipſo Chriſtus inſtituit, vt ſancti Leonis verbis vtar ſermone 2. de aſſump. ſuā ad Pontif. Quemadmodum permanet quod in Chriſto Petrus credidit. Et quidem in primis illud à Caluino ſcire percupio, cū hanc regulā in ſacris literis explicandis retinendā negare nequeat: vt quæ Dominus Apoſtolis cōmendauit æquè congruentia fidelibus vniuerſis, eadem futuris Chriſtianis omnibus commendata ſint, vt illud Mathæi 13. *Qui habet aures audiendi audiat: eſtote prudentes ſicut ſerpentes*, Et pari ratione quæ Dominus Apoſtolis loquutus eſt, ad ipſos quidē ſpectantia quaten⁹ Eccleſiæ ſacerdotes, hæc non ad fideles omnes, ſed ad reliquos in Eccleſia futuros ſacerdotes, referuntur, vt illa Ioannis 20. *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur, &c.* cùm inquam hanc regulam obſeruandam in vniuerſum ſentiat, cur non eamdem in ijs, quæ ad Petrum à Chriſto dicuntur exponendis ſequitur. Ita vt quæ Petro cum cæteris fidelibus congruunt, vt illud Mathæi 18. *Si peccauerit in te frater tuus, corripe illum &c.* Iiſdem quoque communia ſint: Quæ autem eidem vt Apoſtolorum Primati & Eccleſiæ Paſtori propria, cuipiam etiam poſterorum qui Petro ſuccedat, accommodentur, vt illud Ioannis 21. *Paſce oues meas*, & alia his ſimilia quibus iam oſtendimus Petrum à Chriſto in Eccleſia Principem conſtitutum: aut aſſignet rationem aliquam cur in illis hæc regula ſequenda ſit, in his verò minimè? ſi aſſignarit, vicerit; ſin minus aſſi-

gnare poterit (vt re verà non poterit) victus eſt: & contrarium eius quod aſſeruit, iure optimo affirmabo, cauſã eſſe videlicet cur ex ſingulari exemplo vniuerſalē regulã faciamus, & quod ſemel factum fuit in Petro ad perpetuitatem trahamus. Premamus adhuc amplius. Petro dicitur, *Paſce oues meas.* Paſtor, eius officij nomen eſt, quod tamdiu omnino perdurat, quamdiu ipſum ouile ratione cuius paſtor dicitur. At hoc perpetuum eſt & perenne, paſtor ergo perpetuus quoque debet eſſe & perennis. Præterea paſtoris vocabulum non extraordinariam quamdam regendi poteſtatem [vt Prophetarum, Euangeliſtarum, Apoſtolorum communiter) certis ſolum temporibus neceſſariam atque congruam notat, ſed ordinariam. Quæ autem ordinaria ſunt, omnium conſenſu per ſucceſſionem ad poſteros tranſmittuntur. Cum igitur veriſſimum eſſe à nobis ſupra ſit probatum, paſtoris vniuerſalis munus ſoli Petro illis verbis, *Paſce oues meas*, eſſe commiſſum, quã fronte negare poteſt Caluinus, illud officij genus in vnum quempiam eſſe tranſlatum poſterorum, perpetuis temporibus permanſurum, tamdiu ſcilicet, quamdiu oues Chriſti in terrâ perdurarint.

Præterea Petri fidem Chriſtus ſtabiliuit ita vt nunquam deficeret, vt poſſit fratres ſuos confirmare, & roborare, Luc. 22. Fratres autem Petri non ſolum Apoſtoli, ſed etiam omnes fideles fuerunt, & proinde à Petro confirmandi. At Petrus non potuit omnes præſens confirmare, vt pote moriturus: per ſucceſſorem igitur hoc præſtare debuit. Si quis tamen nomine fratrum Apoſtolos ſolos intelligat, quos Petrus confirmare debuerit, argumentum adhuc vim ſuam obtinet. Neque enim hac confirmatione Eccleſia præſens minùs indiget, quàm tum Apoſtoli indigebant, imò verò & multò magis, vt pote quæ paſtores, nec tum in fide, vt Apoſtoli fuerunt, conſtantes, nec tanta vitæ ſanctimoniâ conſpicuos habeat.

Accedit quod ſi in Apoſtolis, qui primitias ſpiritus acceperunt, vt vnitas ſeruaretur, capite opus erat, multò magis id ipſum neceſſarium erit in Eccleſiâ per orbem terrarum longè lateque diffuſa, præſertim cùm dubitari non poſſit, quin Apoſtoli ſic fuerint gratiâ Chriſti roborati, vt vnitatem eam, quæ planè neceſſaria eſſet, conſeruare haud difficulter poſſent.

Ex his probatum manet non minùs iam Eccleſię Chriſti aliquem pręeſſe debere, quàm olim præfuerit S. Petrus. Quod autem is ſit Romanus Pontifex, euidens eſt eadem nimirum ratione, qua Epiſcoporum omnium, quotquot per orbem terrarum longè latéque diffuſi ſunt, iu-

Digitized by Google

riſdictio, & in alios poteſtas perquiritur, ordinaria videlicet & legitima in eadem Epiſcopali cathedra ſucceſſione, quæ ex perpetuo Eccleſiæ vſu & conſuetudine tantum ſubſequenti conciliat auctoritatis, quantum qui præceſſit obtinuit. Deſpiciendum igitur eſt quis D. Petro in cathedra Epiſcopali ſucceſſerit, vt quęnam eiuſdem in Eccleſiam vniuerſam à Christo conceſſa maneat auctoritas, intelligamus. Inter Antiochenum Epiſcopum & Romanũ lis tota eſt: quæ facilè tamen dirimitur, & Romano (etiamſi cum ſuis gregalibus diſrumpatur Caluinus) manet victoria. Nam vt omittam illud quod ſanctus Marcellus affirmat epiſtola 1. ad Antiochenos, Anacletus in epiſtola ad omnes Epiſcopos & præſbyteros 3. Hieronymus in libro de viris illuſtribus, tractans curſum vitæ Apoſtolorum Principis, Damaſus in vitâ D. Petri & alij Petri ſedem iubente Domino Romam eſſe tranſlatam (quod minùs mirum videbitur ei qui Eccleſiam Hieroſolymitanam vt in ciuitatem Pellam transferrent, voce Domini admonitos apud Euſebium lib. 3. hiſtoriæ cap. 5. Epiphanium & alios.) vt inquam hoc prætercam Antiochenus agnoſcit Romanum Pontificem eſſe Petri ſucceſſorem, & proinde facilè paſſus eſt ſe Romano Pontifici poſtponi, quod ſemper eſt obſeruatum: & Nicæna Synodus Canone 6. ratum atque firmum manere voluit.

Sed ſi negare vellet, habemus pro nobis totius orbis conſenſum, qui Romanum Pontificem Petri ſucceſſorem perpetuò confitetur. Vnde in concilio Epheſino 1. vocatur Cœleſtinus Pontifex ordinarius D. Petri ſucceſſor: in Calcedonenſi ſanctus Leo Papa dicitur Principis Apoſtolorum præditus dignitate.

Hinc eſt quod Priſci illi Patres Romanorum Pontificum frequentiſſimè texentes ſeriem vſque ad ſua tempora ad hæreticos redarguendos à Petro ſemper ordiuntur. Irenæus lib 3. contra Valen. cap. 3. Optatus Mileuitanus lib. 2. contra Parm. Epiphanius hæreſi 27. Auguſtinus lib. 1. epiſt. 1. lib. 4. Epiſt. 2. & alij. Quid? quod D. ipſe Petrus, ne dubitari à quopiam poſſet Romanum Pontificem ſuum re vera vnicum atque ſolum eſſe ſucceſſorem, Clementem, iam morti vicinus, Romanum Epiſcopum ordinauit? Quod idem teſtatur Clemens E. 1. ad Iacob. & lib. 7. conſtit. capite vltimo.

CAPVT TERTIVM

CAPVT TERTIVM.

§. I.us

A QVO PETENDVS VERVS SACRÆ SCRIPTVRÆ SENSVS.

DE rectè indaganda verâ & germana ſcripturæ ſacræ interpretatione præſens eſt quæſtio, in qua hæretici varia docent.

Sarauia proteſtans in defenſione trad. &c. ait Spiritum ſanctum qui Eccleſijs præſidet verum eſſe ſcripturarum interpretem, ab eoque petendam eſſe veram ſcipturæ interpretationem.

Rolloeus lib. de vocatione efficaci videtur aſſerere non eſſe opus aliâ luce, quàm quæ eſt ipſius ſcripturæ propria ad ſcripturæ verum ſenſum dignoſcendum. Alij alia docent, & vnus quidem plures, àlius pauciores adducit regulas. Verùm vbi omnes attulerint fatentur tamen nullum eſſe, qui in inueſtiganda ſacræ ſcripturæ vera interpretatione aliquando non errauerit. Neque enim vel antiquis patribus vel ſuis magiſtris in omnibus aſſentiuntur: ſed neque vllum aſſignare poſſunt, quem non agnoſcant aliquando erraſſe aut errare potuiſſe, cùm, vt alij aiunt, omnis homo mendax ſit. Atque ita tandem omnia dubia & incerta relinquunt.

At longè aliter Catholici ſenſum certum & indubitatum ſcripturæ ſacræ non à iudicio alicuius particularis hominis ſumendum docent verum ab vnanimi conſenſu antiquorum Patrum. Atque adeo à iudicio & interpretatione ſcripturæ vt docet ſacro-ſanctum concilium Tridentinum ſeſſione 4. idque rectiſſimè. Neque enim dubitare quiſquam poteſt, quin multò tutius ſit illum ſequi interpretem, qui errare non poteſt, quàm illum qui identidem errat, aut certè errare poteſt: Eccleſia autem in ſuo iudicio errare non poteſt, vt ſupra latè probauimus.

Quod attinet ad Nouatores qui ſequi volunt in ſcripturis interpretandis ductum ſpiritus, quæro ab illis qua ratione vel nobis, vel ſibi ipſis perſuadeant (ſe ſequi ductum ſpiritus Dei non autem diaboli cùm omnes hæretici hoc ſpiritu ſe præditos eſſe autument? Quod ſi dicant hos ſpiritus per ſcripturam diſcernendos, quæro rurſus vnde habeant hanc eſſe veram ſcripturam, & ſi reſpondeant per ſpiritum priuatum, cõmittunt circulum. Ecce quomodo in circuitu impij ambulant pſa. 11.

Digitized by Google

Quod autem attinet ad illos qui dicunt vnum ſcripturæ locum exponi poſſe per alium facilè refelluntur. Nam ſi hoc ita eſt, cur ipſi non obſtante collatione ſcripturarum ita diſſentiunt in multis locis ſcriptu- interpretandis

Concludo hanc quæſtionem obſeruando nihil ſolidum, nihil certum contineri in ſacris literis iuxta aduerſariorum doctrinam, quia cùm omnia ex vero literæ ſenſu pendeant & apud eos nullus ſit certus & fidus modus inueniendi hunc ſenſum: conſequenter omnia quę in ſacris literis ſunt in dubium reuocant.

---

§. 2.us

QVOMODO DIGNOSCENDÆ SINT SACRÆ Scripturæ Canonicæ a non Canonicis.

Caluinus lib. 1. inſtitutionum cap. 7. ſectione 2. in fine aſſerit fideli tam facile eſſe Canonicam ſcripturam à non Canonica diſtinguere quàm ſit videnti facile lucem à tenebris diſcernere, aut album à nigro.

Verùm hoc non ſolùm rationi, ſed etiam experientiæ aduerſatur. nam conſtat & olim inter fideles, imò inter viros pios & celebres, vt videri eſt apud Cardinalem Bellarminum lib. 1. de verbo Dei cap. 17. & 19. fuiſſe non paruam controuerſiam de nonnullis libris tum veteri tum noui teſtamenti; & etiam nunc eſſe inter illos quos ipſi Sectari fideles exiſtimant, id quod ipſe idem Caluinus agnoſcit in præfat. ant epiſtolam S. Iacobi & ante epiſtolam ad Hebræos. Porro cùm hoc ſati videant eius ſectatores: vt Paræus in diſputatione de auctoritate ſcripturarum, Rupellana confeſſio art. 4. & alij, imò & ipſe Caluinus li 1. inſtitutionum cap. 7. numero 4. confugiunt ad ſpiritum ſuum part cularem vel peculiarem quo præcipuè ſe perſuaderi & moneri dicun vt hos recipiant libros ſcripturæ, non autem ſolo Eccleſiæ conſenſ Quare ſi quæramus à Caluino vnde ſciat epiſtolam Iacobi eſſe Canon cam & ſine controuerſiâ amplectendam: ſi à Luthero vnde eamde tanquam ſtramineam, ſpuriam & Apoſtolico ſpiritu indignam, vt i illam appellauit, dignouerit? Reſpondebit vterque ſe hic quam contraria ſpiritu docente cognouiſſe.

Verùm cum omnes iſti ſpiritus æquè ſint nobis ignoti, putantur il minati hi hæretici nos adeo eſſe ſtupidos, vt illis tamen omnibus

Digitized by Google

dere velimus? Certè cum ſpiritus ipſi non ſint ſpiritus pacis & vnionis non poſſunt eſſe ſpiritus Dei, Et cum ſinguli hunc ſpiritum iactitent, quis iudex determinabit quis cui præferendus ſit? Tandem Caluinus ait maieſtatem literæ & phraſim facilè indicare ſcripturæ libros non ab alio quam Dei ſpiritu dictatos fuiſſe, ſic lib. 1. inſtitutionum cap. 8 paragrapho 1. 2. 10.

Sed putatne hic nequam hæreticus homines eſſe ſtatuas & truncos ſtupidos, qui nihil intelligunt, nam ſcripuræ phraſis non eadem ſemper eſt cum eloquentior fuerit Paulus ad pedes Gamalielis edoctus, quàm alij Apoſtoli piſcatores; & aliter loquatur Iſaias in aula Regiâ, aliter Amos ad caulas gregum educatus. Sententioſiores etiam ſunt Salomon & Iob quam alij ſcriptores, vt manifeſtum eſt. Deinde phraſis ſcripturæ varia eſt ob varias tranſlationes, quæ etiam inter nouatores ſunt dubiæ, vt non immeritò sereniſſimus M. Britanniæ Rex Iacobus in ſumma collationis Hamptonienſis pag. 46. ingenuè fateatur ſe nunquam vidiſſe inter nouatores geminam tranſlationem, Geneuenſem autem omnium eſſe peſſimam. Quomodo ergo ex phraſi vel literà dignoſci poteſt ſcriptura? Certè ſi ex phraſi iudicandum eſt de ſcripturâ, per vnum librum ſcripturæ omnes alios reijciam, vt pote ab illo in phraſi diſcordantes.

Confugiendum eſt ergo cum Catholicis ad Eccleſiam, ab eaque petendæ ſunt veræ ſcripturæ Canonicæ. Hanc fuiſſe fidem & doctrinam antiquæ Eccleſiæ teſtatur breuis illa ſed neruoſa ſententia D. Auguſtini (quem optimum ex tota antiquitate & fideliſſimum teſtem agnoſcit ipſe Caluinus lib. 4 inſtitutionum cap 14. ſectione vltima) *Ego* (inquit Auguſtinus contra Epiſtolam Manichæi cap. 5. tom. 6) *Euangelio non crederem, niſi me Catholicæ Eccleſiæ commoueret auctoritas.* Quem locum quamuis Caluinus lib. 1. inſtitutionum cap. 7. ſectione 3 [teſte Horantio lib. 2. locorum Catholicorum cap. 4.) conetur explicari, ita vt exiſtimet Auguſtinum loqui de ſeipſo adhuc Manichæo, non autem de ſe iam fideli &; credente ineptè tamen explicat, & planè ridiculum eſt effugium: nam verba quæ paulò poſt ſequuntur oſtendunt falſam eſſe hanc Caluini interpretationem. *Si ad Euangelium te tenes* [alloquitur S. Auguſtinus Manichæum] *ego ad eos me teneam quibus præcipientibus credidi Euangelio.* Loquitur ergo de ſe qui iam crediderat Euangelio. Et paucis interiectis. *Quorum auctoritate infirmata, iam nec Euangelio credere potero.* Vbi oſtendit ſidem ita pendere ab auctoritate Eccleſiæ vt eà infirmata vel ſublata non poſſit ampliùs ſubſiſtere vlla fides Euangelij. Ex

Digitized by Google

quo falſum eſſe clarum eſt quod ſcribit Iunius hæreticus S. Auguſtinum loqui duntaxat de cauſâ accidentaria, non de cauſâ per ſe neceſſaria. Alij dicunt Auguſtinum loqui de hoc vel illo libro Euangelij non de Euangelio in genere. Sed verba ipſa S. Auguſtini contrarium docent, quia vbique loquitur de Euangelio in genere. Deinde eadem eſt ratio vnius Euangelij & omnium.

§. 3.us.
AN SACRA SRIPTVRA SIT OBSCVRA.

QVæſtio eſt de verbo Dei ſcripto quod dicunt hæretici facile eſſe non obſcurum. Verùm tenendum omnino eſt ſcripturam difficilem eſſe & obſcuram. Probatur hæc catholica veritas 1. ex act. 8. *Quomodo poſſum intelligere* (inquit Eunuchus) *ſi nemo oſtenderit mihi?* Et ex Lu cæ 24. *Aperuit ſenſum vt intelligerent ſcripturas.*

Probatur 2. obijciendo aduerſarijs plurima loca obſcura, imò integra capita ex canticis canticorum, ex Ezechiele & alijs Prophetis.

Denique probatur ex Pet. 2. 3. verſ. 16. vbi habetur in epiſtolis Diui Pauli eſſe quædam intellectu difficilia, quæ indocti & inſtabiles deprauant ſicut & cæteras ſcripturas ad ſuam ipſorum perditionem. Vide Coluillum in Paræneſi pag. 47.

His argumentis conuicti multi hæreticorum & inter cæteros Beza, de notis Eccleſiæ volum. 3. pag. 137. edit. anni 1582. mutata ſententiâ fatentur non pauca loca eſſe obſcura in ſacris literis.

§. 4.us.
AN SCRIPTVRA SACRA ITA CONTINEAT NECESSARIA AD SALVTEM, VT NVLLÆ ADMITTI DEBEANT TRADITIONES.

AFfirmant Sectarij communiter, ſed dicendum eſt neceſſariò eſſe admittendas traditiones. Eſt Catholica ſententia.

Probatur 1. ex illo Pauli ad Teſſal. 2. 2. *Itaque fratres ſtate & tenete traditiones quas didiciſtis, ſiue per epiſtolam ſiue per ſermonem.* Quo in loco æqualiter commendat Apoſtolus & ſub eodem imperio tam quæ per

epiſtolam illis tradiderat, quàm quæ ore tenus ab eo acceperant. Tenete obligationis verbum eſt, quia imperatiuum. 2. Probatur etiam ex Teſſal. 4. *Rogamus* (inquit) *vos & obſecramus in Domino Ieſu, vt quemadmodum accepiſtis à nobis quomodo oporteat vos ambulare & placere Deo, ſic ambuletis, vt abundetis magis: Scitis enim quæ præcepta dederim vobis per Dominum Ieſum.* Ecce antequam ad eos aliquid ſcriberet Apoſtolus, tradidiſſe ſe illis aliqua memorat, quæ præcepta appellat. Quod ſi præcepta ſunt neceſſitatem obſeruationis inducunt. Idem ferè dicit ad Corinth. 1. 11. Laudans eos ab obedientià traditorum præceptorum non ſcriptura, ſed verbo tenus acceptorum. Et idem facit in 1. epiſt. ad eos miſſa. *Laudo vos* (inquit) *Fratres, quod per omnia mei memores eſtis, & ſicut tradidi vobis præcepta mea tenetis.* Vbi iterum vides præcepta Corinthijs inculcata, quæ ſcriptura Canonica minimè conſtabant. Huc etiam pertinet depoſitum illud ſacro-ſanctum quod pœnes Timotheum idem Apoſtolus repoſuiſſe aſſerit, quod nonniſi ſanctarum traditionum recondita quædam doctrina erat, quod ipſum Tertullianus vult. Pauli verba ſunt. *O Timothee, depoſitum cuſtodi, deuitans profanas vocum nouitates &c.* De quo depoſito clarius idem Paulus meminit 2. cap. 2. epiſt. ad eundem. *Tu ergo* [inquit) *fili mi confortare in gratià quæ eſt in Chriſto Ieſu & quæ audiſti à me per multos teſtes hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt & alios docere.* Hic apertè vides & aliam reconditiorem doctrinam ſimplicioribus & imperfectioribus minimè communem coram teſtibus Timothæo diligenter à Paulo commendatam, quam etiam vult impartiri ſanctus Apoſtolus his qui ſufficienter ſunt alios docere. Hi ſunt loci in Paulo præcipui, qui ſine vllo inuolucro aut verborum multiplicitate, veritatem noſtræ aſſertionis oſtendunt. Occurrit tamen alius in Paulo locus neutiquam aſpernandus, 2. ad Teſſal. 3. quem pro ſeruando Eccleſiæ ordine allegat Cyprianus in fine epiſtolæ 3. ad Cornelium aduerſus Nouatianos, qui ſic habet. *Præcipimus vobis in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti vt recedatis ab omnibus fratribus ambulantibus inordinatè & non ſecundùm traditionem quam acceperunt à nobis.* Ecce Paulus excommunicat eos qui non ſecundùm Apoſtolicam traditionem viuebant: quod minimè faceret, ſi neceſſariæ obſeruationis Chriſtiano non eſſent.

Probatur ſecundo argumento quod meo iudicio efficax eſt: eſt autem huiuſmodi. Antequam Moyſes legem Iſraelitis traderet, peruetuſti illius ſæculi patres ab Abel vſque ad Moyſem veri cultus Dei doctrinam habuerunt, nulla Canonica adhuc ſtante ſcripturâ, ſed per iugem

Digitized by Google

Eccleſiâ permanſerit, ſed nullum tale eſſe.

Sed contra. Nam D. Paulus 1. ad Corinth. 1. ſcribens dicit, *Cætera autem cùm venero diſponam.* quæ tamen non leguntur. ergo &c. 2. Ioannes in fine Euangelij ſui ait, *Sunt autem & multa alia, quæ fecit Ieſus, quæ ſi ſcribantur per ſingula, nec ipſum arbitror mundum capere poſſe eos qui ſcribendi ſunt libros.* ergo &c. 3. Euangeliſtæ omiſerunt aliquid, vt certum eſt ergo potuerunt ſimili modo alia multa omittere: antecedens clarum eſt, nam Act. 20. D. Paulus allegat dictum Chriſtum, *Oportet*, inquit, *meminiſſe verbi Domini Ieſu, quoniam ipſe dixit, Beatius eſt magis dare, quàm accipere.* quod tamen alibi in Euangelio non legitur. Denique vbi eſt liber bellorum Domini, de quo Num. 21. 14.? Vbi ille ſermonum & dierum Salomonis de quo 3. Reg. 11. 41.? vbi denique epiſtola ad Laodicenſes de qua ad Colloſſenſes 4. 16?

Probatur denique ex patribus & imprimis ex D. Dionyſio Pauli Apoſtoli diſcipulo, Athenarumque, vt Euſebio placet, Epiſcopo, qui in primo capite lib. de Eccleſiaſtica Hierarchiâ inſigne de ſanctis traditionibus dat teſtimonium, vbi Timorheum ſuum de Eccleſiaſtica doctrina vult inſtruere. *Sacerdotij*, inquit, *noſtri functionem ſanctiſſime fili Timothee anguſtioris eſſe ac diuinæ & diuinitus indultæ ſcientiæ actioniſque ac perfectionis his qui ſacrationis doctrinæ inſtitutionem ex ſacerdotalibus myſterijs traditionibus acceperunt, de ſanctarum ſcripturarum maieſtate neceſſariò demonſtrare inſtitui.* Vides vtrumque genus doctrinæ miſceri à ſacro-ſancto hoc viro, vt præſulem iſtum erudiat, ſcripturas ſcilicet & traditiones quaſi vnum ſine altero perfectè conſtare non poſſit. Idem docet ſanctus Ignatius Ioannis Apoſtoli auditor, & à D. Petro in ſede Autiochena tertius, epiſtola ad Heronem loquens de quibuſdam Eccleſiaſticis ritibus, vt pote de carnium & vini abſtinentiâ diſtrictiſſimè commendat huiuſmodi obſeruanda quæ per traditionem in Eccleſiâ recepta ſunt. Quid ſi ſanctus hic Martyr reuiuiſceret ac videret ſæculi huius corruptiſſimos mores, religionis peruerſores, nefarios Apoſtolicorum traditionum violatores, quid illum dicturum fore autumas, quandoquidem eos qui vel præter ea quæ tradita eſſent dixiſſent quippiam, vſque adeo acriter inuehitur, vt lupos vocet ouium deuoratores. Idem docent reliqui omnes Patres qui apud alios videri poſſunt. Vnum Auguſtinum omittere non poſſum qui clariſſimè in libro de S. ſancto cap. 27. hoc docet. *Dogmata*, inquit, *quæ in Eccleſiâ ſeruantur ac prædicatur partim ex conſcripta doctrina habemus, partim ex Apoſtolorum traditione ad nos delata in myſterio recipimus, vtraque tamen eamdem ad pietatem vim habent, & nemo*

Digitized by Google

his contradicit, qui vel modicam ſaltem Eccleſiaſticorum iurium experientiam habeat, ſi enim aggrederemur non ſcripto præditas conſuetudines, velut non magnam vim reijcere, imprudentes etiam ipſis principalibus Euangelij partibus damnum inferremus, imò potius ipſam Euangelij prædicationem ad nudum nomen contraheremus. Hæc Auguſtinus. Alia argumenta contra Sectarios pro traditionibus peti poſſunt ex ijs quæ diximus lib. 2. quando egimus de modo agendi cum hæreticis.

§. 5.us

AN SCRIPTVRA SACRA SIT IVDEX CONTROVERSIARVM:

AFfirmant ex Sectarijs non pauci, quamuis alij recurrant ad ſpiritum particularem, ſed dicendum eſt cum Catholica ſententià neque ſpiritum particularem, neque ſcripturam ſed Eccleſiam eſſe controuerſiarum iudicem.

Probatur primò ex illo loco Mathæi 18. *Si peccauerit in te frater tuus, dic Eccleſiæ &c. Eccleſiæ non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus & Publicanus.* Ex quo loco in hunc modum argumentor: Si omnes controuerſiæ religionis ad Eccleſiæ iudicium deferendæ ſunt, vt colligitur ex loco citato, ergo Eccleſia eſt iudex.

Probatur 2. argumento deſumpto ex Deuteronomij 17. & alijs ſcripturæ locis, vbi, præterquam quod hoc alioqui naturali lumine rationis euidens eſt, ſignificatur iudicem talem eſſe debere, ad quem in omni controuerſià eius fori, pateat litigantibus acceſſus, hac ratione. Iudex controuerſiarum in aliquo foro talis eſſe debet, ad quem omnes habentes aliquas controuerſias in eo foro, poſſint ire & accedere: ſed multi ſunt in Eccleſià, qui dubia ſeu controuerſias circa fidem habent, & ad Eccleſiam quidem facilè, ſed ad ſcripturam accedere & ire non poſſunt, ergo ſcriptura non eſt iudex, ſed Eccleſia. Minor probatur, quia ſcriptura eatenus ſolùm propriè aditur, quatenus eius ſententia legendo exquiritur; ſed plurimi ſunt in Eccleſia qui ſcripturam legere non poſſunt, ergo non omnes ſcripturam adire poſſunt.

Probatur 3. omnis iudex præſertim ſupremus in hac vita & generalis ita debet dicere ſententiam, vt altera pars litigans euidenter ſciat ſe viciſſe, altera euidenter ſciat ſe cauſam amiſiſſe, quantum eſt ex parte illius iudicis; at hoc neque ſacra ſcriptura neque Spiritus ſanctus quatenus

Digitized by Google

ten uspsæcisè per ſcripturam loquitur, poteſt facere; ergo neque ſacra ſcriptura neque S. ſanctus quatenus præcisè per ſcripturam loquitur, eſt talis iudex: Maior euidens eſt. Minor probatur exemplo clariſſimo. nam eodem tempore quo controuerſia eſt inter me Catholicum & Caluiniſtam aliquem hęreticum, de iudice controuerſiarum quam ille ſcriptura iudice decidendam dicit, nihil, licet ſępius lectis & relectis ſcripturę locis, quæ ad rem ſpectant, conſtat; ſed vterque iudicat ſenſententiam ſcripturæ à ſe ſtare, non contra ſe.

Probatur denique. In veteri teſtamento lex non fuit iudex, ſed ſummus Sacerdos; Ergo etiam in nouo non erit, ſed vel Eccleſia aut ſummus Sacerdos, Chriſti nempe in terris Vicarius, ſummus Pontifex. Antecedens probatur ex Deuteronomij 17. *Si difficile & ambiguum apud te iudicium eſſe perſpexeris inter ſanguinem &c. Et iudicium tuum intra portas tuas videris variari verba, ſurge & aſcende ad locum quem elegerit Dominus Deus tuus, venieſque ad ſacerdotes Leuitici generis, & ad iudicem qui fuerit illo tempore, quæreſque ab eis qui iudicabunt tibi iudicij veritatem.* Ezechielis 4. *Cùm fuerit controuerſia ſtabunt ſacerdotes in iudicijs meis & iudicabunt.*

PARS SECVNDA

CAPVT PRIMVM.

§ I.us

QVID SIT SACRAMENTVM.

OMISSIS varijs ſignificationibus Sacramenti Sacramentum pro vt hoc loco ſumitur, eſt res ſenſibus ſubiecta, quæ ex Dei inſtitutione ſanctitatis & iuſtitię tum ſignificandę tum efficiendæ vim habet. Dicitur res ſubiecta ſenſibus, quia ſenſu percipitur, vt materia baptiſmi viſu & tactu: forma verò auditu. Item materia Euchariſtię ſiue panis & vinum guſtu, viſu, tactu; forma verò auditu, &c. Dicitur vim habere ſignificandi ſeu eſſe ſignum, quiâ ſignorum

Digitized by Google

more deducit nos in rei alicuius latentis notitiam non minus quàm fumus in notitiam ignis qui non videtur, vt docet D. Auguſtinus lib. 10. de ciuitate Dei cap. 5. vbi etiam appoſitè monet latentem rem illam quam ſignificat ſacram eſſe, neque enim aliter ſignum ſacrum diceretur niſi ſacra res eſſet quam connotat.

Si quęras quęnam ſit R. ſanctitas & iuſtitia, vti ex definitione data liquet, vel ſi mauis & in idem redit gratia Dei per quam anima ſanctificatur: diuinę namque literę effectum hunc ſacramento clariſſimè tribuunt. Act. 2. *Baptizetur vnuſquiſque veſtrum in remiſsionem peccatorum.* Ioannis 6. *Qui manducat hunc panem viuet in æternum*, haud dubiè nec peccatorum remiſſio nec vita æterna eſſe poteſt abſque ſanctitate, iuſtitia & gratia, de qua ad Romanos 6. *Gratia Dei vita æterna.* 1. ad Timotheum 4. *Noli negligere gratiam quæ data eſt tibi per prophetiam cum impoſitione manuum præsbyteri,* De Sacramento ordinis loquitur Apoſtolus ſicut D. Auguſtinus obſeruauit lib. 4. veteris & noui teſtamenti capite 93. *Infirmatur quis ex vobis* (dicebat Iacobus de Extrema-vnctione cap. vltimo) *induat præsbyteros Eccleſiæ & orent ſuper eum vngentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei ſaluabit infirmum, & alleuabit eum Dominus, & ſi in peccatis fuerit remittentur ei. Viri* (inquit Paulus de ſacramento Matrimonij ad Epheſios ſcribens) *diligite vxores veſtras, non vt vxores aut carnem veſtram tantum, ſed ſicut Chriſtus Eccleſiam ſuam*, vt in vxore maritus Eccleſiam ſpectet Chriſti ſponſam. *Quorum remiſeritis peccata* [inquit Dominus de ſacramento Pœnitentiæ] *remittuntur illis.* Illud etiam ſignificat æthimologia nominis: Sacramentum enim dicitur quod ſacram ſeu ſanctam mentem efficiat, non ergo aliud ſignificat quàm ſanctitatem à qua mens denominatur ſancta formaliter. Quorſum enim & quid aliud ſignificaret? quid magis indicare poteſt quàm id cuius gratiâ eſt inſtitutum? Atqui propriè & præcipuè inſtitutum eſt ad ſanctificandos homines non ad homines Chriſto obligandos, vt vult Zuinglius, quia talis obligatio nec habetur in ſcripturâ, nec vllam habet cum ſacramento puta cum ablutione ſimilitudinem: non ad diſcernendum fidelem populum ab infideli, vt voluiſſe Caroloſtadium narrat Lutherus in ſermone de verbis cœnæ propter eaſdem cauſas, & quia ſemper fuerunt meliora quædam, commodiora, & certiora diſcernicula, verbi gratiâ exteris fidei confeſſio, ſignum Crucis, conſtans & mutua charitas &c. Vnde non ait Dominus Ioannis 15. In hoc cognoſcent homines quod diſcipuli mei eſtis, ſi baptiſmum habueritis, vel Euchariſtiam, ſed ſi dilectionem ad inuicem: non promiſſionem

reconciliationis, ſeu remiſſionis peccatorum, vt ſomniauit Kemnitius, ſiquidem in Sacramentorum confectione & vſu nullæ interueniunt promiſſiones ſeu verba promiſſoria, neque enim dicitur, qui baptizatus fuerit ſaluus erit, ſed ego te baptizo: nec qui manducat hunc panem viuet in æternum, ſed accipite & comedite hoc eſt corpus meum. Non denique æternam prædeſtinationem, vt exiſtimauit Caluinus lib. 4. inſtit. cap. 14. paragrapho 1. ſiquidem ex nullo prorſus capite poteſt oſtendere baptiſmum vel aliud ſacramentum quantumuis optima diſpoſitione recipiatur, indicare homini (quantumuis certum facere) quod ſit prædeſtinatus, & abſurdum eſt putare ex tam multis qui ſacramenta ſuſcipiunt etiam in bono ſtatu quoad præſentem iuſtitiam, non eſſe aliquos ex numero reproborum, atque ita non haberi in his ſacramenta falſam ſignificationem, ſi vera ſit Caluini ſententia. Deinde aut vult Caluinus ſacramenta eſſe ſigna prædeſtinationis incerta ac tantùm probabilia, vel certa: ſi incerta, ſuperfluam omnino facit eorum inſtitutionem, cùm plurima alia ſint, ex quibus ratiocinari quis poteſt veriſimiliter ſe eſſe prædeſtinatum, verbi gratiâ, ſi mundo & pompis eius perfectè abrenunciet, vt Chriſtum ſequatur, ſi excellat patientiâ, ſi conſtantem voluntatem habeat non peccandi mortaliter, ſi charitate flagret &c, Si certa, vt docet ipſe in Antidoto concilij Tridentini ſeſſ. 6. cap. 13. & lib. 3. inſtit. cap. 2. parag 16. pugnare facit ea cum ſcripturis ſacris omnem hanc prætentam certitudinem refutantibus, vt Eccleſiaſt. 9. *Neſcit homo vtrùm odio an amore dignus ſit, ſed omnia in futurum ſeruantur incerta.* Et 1. ad Corinth. 4. *Nolite ante tempus iudicare.* & Eccleſ. 5. *De propitiato peccato noli eſſe ſine metu.* & pſal. 11. *Seruite Domino in timore.* cauſam addit. *ne quando iraſcatur Dominus, & pereatis de viâ iuſta.* Ad Rom. 11. verſu 20. *Tu autem fidè ſtas, noli altum ſapere, ſed time.* Et ad Philippenſes 2. 12. *Cum metu & tremore ſalutem operamini.* Pugnare etiam facit cum prouidentiâ Dei, quam nullo modo decuit certitudinem hanc hominibus dare, ne in ſuperbiam & noxiam ſecuritatem erigerentur, ad quam heu iam ſatis propendunt; & cum diuinis illis teſtimonijs quę docent omnino exploratos non eſſe homini actus proprios qualiter ſe habeant, ſed ſæpe de illis perperam iudicare. Ad Rom. 8. *Quid oremus ſicut oportet neſcimus,* Prouerb. 14. *Eſt via quæ videtur homini iuſta, nouiſsima autem eius deducunt ad mortem.* Apocalip. 3. *Vides quia diues ſum &c. & neſcis quia miſer es & miſerabilis &c.* Nec proinde exploratam omnino eſſe prædeſtinationem vt pote cuius perſuaſionem vult Caluinus in vſu Sacramentorum pendere ab actibus

proprijs & præcipuè ab actibus fidei, quam ab illis vult excitari & eandem ob cauſam cum propriâ confeſſione: fatetur quippe obſcura eſſe cuilibet quæ in animâ geruntur interiùs. *Fideles* (inquit lib. 3. inſtitut. cap. 2. parag. 10.) *fallaci fidei ſimulatione non hominum oculis modo imponunt ſed ſuis ipſorum animis.* Et infra, *tot vanitatis receſſus habet, tot mendacijs catet cor hominum, tam fraudulenta hypocriſi obiectum eſt, vt ſeipſum fallat.* Et denique cum praxi baptizandi paruulos qui cùm non ſint capaces actus fidei nec perſuaſionis illius, vtique ad baptiſmum admitti non deberent, ne fruſtra baptizarentur velut incapaces effectus, propter quem baptiſmus & alia ſacramenta dicuntur à Caluino inſtituta. Conſentit his L. Auguſtinus in libro de correptione & gratiâ cap. 13 cùm ait, *Omnes etiam, qui bene currunt, timeant dum occultum eſt quo perueniant, &c.* Et ſerm. 16. de verbis Apoſtoli. *Et erit quiſquam veſtrum qui audeat dicere iuſtus ſum.* Notent hoc Caluiniſtæ. Ratio etiam eſt quia certitudo fidei eſt infallibilis, quia nititur diuina veritate, cui falſum ſubeſſe non poteſt; tunc enim dicitur aliquis habere certitudinem fidei de aliqua re quando rem illam cognoſcit per reuelationem Dei, at non ſinguli fideles habent reuelationem Dei de ſuâ iuſtitiâ, perſeuerantiâ, & vitâ æterna.

Ex his colligitur Sacramenta non eo modo tantùm conferre gratiam, quo verbum prædicatum &c. Nam verbum prædicatum in tantum confert, in quantum excitat &c. Sacramenta verò ex opere operato conferunt. Colligitur 2. ex hac ſacramentorum efficacia optimè intelligi ipſorum auctorem Deum eſſe qui eam ſupernaturalem virtutem creatis rebus impertiri ſolus poeteſt, ſuper qua re nemo grauabitur legere D. Auguſtinum tractatu 5. in Euangelium Ioannis: ibi enim tum de ſacramentorum efficacia, tum etiam de auctore 1. ipſorum egregiè ſatis ac Catholicè agit.

§. 2.us

REIICITVR DEFINITIO SACRAMENTI QVAM ADFERT CALVINVS.

EX dictis ſuperiori paragrapho facilè refelli poteſt definitio Sacramenti quam affert Caluinus lib 4. inſtit. cap. 14. parag. 1. vbi ſic definit Sacramentum, Externum ſymbolum quo beneuolentiæ erga nos ſuæ promiſſiones conſcientijs noſtris Dominus obſignat ad ſuſti-

nendam fidei noſtræ imbecillitatem, & quo nos viciſſim noſtram erga eum pietatem tam coram eo & Angelis quàm apud homines teſtamur. In qua definitione omnia verba ſunt ſuſpecta. quatuor autem manifeſte falſa: nam quod vocat Sacramentum ſymbolum cùm ab illo dicitur ſuſpectum eſt, quia excludit omnem gratiam, omnem effectum, & relinquit ſymbolum aridum & inane, vacuum ac ſterile. Quod autem dicit diuina erga nos beneuolentia, falſum eſt, nam aut eſt beneuolentiæ præteritæ, qua nos dignatus eſt Deus, aut præſentis quam nobis per ipſum iam Sacramentum impertiatur, aut futuræ quam nobis aliquando promiſerit, ſignaculum eſt. Futuræ quidem non eſt tum quia Caluinus hoc non concedit, quia putat omnes Chriſtianorum pueros ſanctificatos eſſe antequam baptizentur, & ſi concederet, tamen eſſet falſum, quod cùm iam Deus diſertis verbis ſuas illas promiſſiones nobis tradiderit, non poteſt aliunde plus accedere auctoritatis & firmamenti quàm habet ipſum verbum Dei, nam qui verbis Dei non credit, quomodo credet aquæ & pani? Neque præſentis ex ſententia Caluini, quia vt ait ſacramentum non confert gratiam: neque præteritæ, quia quando miniſter adhibet ſacramentum, non poteſt illi conſtare, an is qui baptizatur, ſit diuinam gratiam conſequutus: nam ſi conſtat, aut aliquo verbo Dei conſtat, aut aliqua humana ratione. Dei verbo non conſtat, quia nullum Dei verbum eſt quo fide Catholica credere debeamus, hunc vel illum eſſe gratiam conſequutum. Nec id conſtat, vt putat Caluinus ex vi fœderis inter Deum & Abrahamum. 1. quia illud fœdus non intelligitur de filijs ſecundum carnem, teſte Paulo ad Rom. 9. *Non enim omnes qui ex Iſraël ſunt, ij ſunt Iſraelitæ: neque qui ſemen ſunt Abrahæ, omnes filij: ſed in Iſaac vocabitur tibi ſemen: id eſt non qui filii carnis, hi filij Dei, ſed filij ſunt promiſſionis æſtimantur in ſemine.* Tum quod ſi intelligeretur de ijs, tamen nullum verbum Dei eſt quo tam certè credere debeam, hunc vel illum eſſe filium Chriſtianorum, quàm certò debeo credere: quæ habet fides Catholica. Quid enim ſi quem puto eſſe filium Chriſtiani, ſuppoſititius ſit. Si humana ratione id conſtat, minimè ſatis eſt, vbi agitur de conſignandis promiſſionibus diuinis, quæ obſignari nec debent, nec poſſunt, niſi auctoritate planè diuina. Si ergo hoc non conſtat, temerè & infideliter miniſter adhibet ſacramenti ad confirmandum iam eſſe perſolutam gratiam ei qui baptizatur, quam Deus promiſerat, cùm maximè dubium ſit, an perſoluta ſit. Secundum verbum falſum eſt (promiſſiones diuinæ) quarum dicit Sacramentum eſſe ſigillum. Vocat autem promiſſiones diuinas

Digitized by Google

illud verbum quod miniſter concionatur antequam baptizet. Quid eſt vocare promiſſiones illud verbum? cùm promiſſiones omnes diuinæ iam olim factæ fuerint; nunc tantùm recitetur verbum, & quoquo modo explicetur, hoc non eſt promiſſionem fieri.

Dicet Caluinus remiſſionem quidem iam factam, ſed nunc recitari, vt intelligatur, credatur ab eo qui baptizandus eſt.

Hoc quidem minùs malé; ſed tamen quorſum pueri baptizantur, qui illud verbum promiſſionis nec audiunt, nec ſi audirent intelligant, nec ſi intelligant fortaſſe crederent. Deinde ſi quis baptizatur adultus cùm fuerit iam catecheſi inſtitutus duobus aut tribus annis, quid opus eſt alio verbo Dei vt aſpergatus aquâ. Deinde quorſum miniſter dicit quando baptizat, ego te baptizo, cùm illud verbum non ſit promiſſionis, nec ſit verbum Dei quod ampliùs eo ſenſu & ita vt ille miniſter dicit. Nam cùm hęc verba pronuntiat aut ſignificat ſe velle facere quod Chriſtus, id eſt regenerare eum qui baptizatur, aut tantùm velle ſe exercere actum externum, id eſt perfundere illum aqua: nec vnum nec alterum eſt verbum Dei, ſed verbum miniſtris. Nam ſi verbum Dei eſſet, nemini liceret dubitare, quin miniſter vellet facere id quod dicit ſe velle facere, at omnibus licet dubitare, quia Deus non iubet credere falſo miniſtro, cum poſſit eſſe mendax, ergo non eſt verbum Dei, ſed illius. Præterea videtur ſanè mentiri quando hæc dicit, quia non baptizat tunc, ſed quando concionatus eſt. Quod ſi reſpondeat ſe tantùm ſignificare nunc aquam infundere, cùm antea concionatus fuerit, quid opus eſt vt hoc dicat, & infundat aquam? ſi Propter teſtes hoc dicit, quid etiam opus eſt? Quartum verbum eſt obſignare, aut eſſe ſigillum quod multò magis falſum eſt. Nam obſignare nihil aliud eſt quam facere vt credatur id quod aliter non crederetur, aut minùs certè crederetur. Sacramentum hoc non poteſt erga verbum Dei, ergo non poteſt illud obſignare. Aſſumptum probatur. Si Sacramentum hoc facit, aut facit ex parte rei, ſiue vi ſua, aut ex parte noſtra Rurſum ſi ex parte noſtra, vel propterea quod nobis oſtendit eſſe verbum Dei id quod dubitamus & an ſit verbum Dei, vt patet de ſigillo Regis, vel propterea quod cùm ſciamus verbum quod præceſſit eſſe verbum Dei, tamen ſacramentum manifeſtiùs atque explicatiùs & magis ad ingenium noſtrum accommodatè id nos docet. Ex parte rei non poteſt Sacramentum obſignare verbum Dei, quia quod ex natura rei & natura ſuâ obſignat & confirmat aliquod aliud principium, debet eſſe eo firmius, in hanc enim ſententiam dictum eſt illud Ariſtotelis, propter quod vnum-

Digitized by Google

quodque tale & illud magis. Sacramentum verò non eſt principium firmius natura ſuâ quàm verbum Dei, ſed infirmius, quia quicquid auctoritatis habet & firmitatis, habet ex ipſo verbo Dei, ergo non poteſt illud obſignare & obfirmare ex parte rei & natura ſuâ. Item non poteſt illud obſignare & obfirmare ex parte noſtra priori modo, quia nemo eſt qui credat eſſe verbum Dei illud quod recitatur propter Sacramentum quod videt. Sed è contrario credit eſſe ſacramentum propter verbum Dei ex quo didicit ſacramentum eſſe quotieſcunque hic & ille ritus adhibetur. Ergo potius verbum eſt ſigillum Sacramenti, quàm Sacramentum ſigillum verbi Dei. Denique Sacramentum non poteſt obſignare verbum Dei ex parte noſtra primo modo, quia falſum eſt Sacramentum eſſe rem nobis notiorem quàm verbum Dei. Duo enim ſunt in ſacramento: alterum eſt humanum quod in ſenſus cadit, alterum diuinum quod mente percipitur. Quod humanum eſt aut ſine eo quod eſt diuinum non eſt Sacramentum, aut multò obſcurius quàm verbum Dei declarat nobis diuinam promiſſionem. Nam verbum Dei apertè & diſertè declarat nobis; quid enim apertius quàm qui crediderit & baptizatus fuerit, ſaluus erit? Elementum autem Sacramenti hoc nobis non declarat, niſi obſcuriſſima & tenuiſſima analogiâ, vt aqua mundat corpus, ita & Sacramentum baptiſmi illuſtrat mentem. nec exemplum Caluini quicquam efficit. Ait, quemadmodum in pactis datur dextra præcedentibus quibuſdam verbis veluti ſigillum quoddam, ita in promiſſionibus diuinis cum ad verbum Dei accidit ſacramentum, adhiberi quaſi quoddam ſigillum & ſignaculum. Nam inter homines propterea adiungitur huiuſmodi ſignum, quia de verbis ipſorum meritò dubitari poteſt, tum etiam quia obliuiſci facillimè poſſunt, quare cum dextras iungunt, duo profitentur, ſe non fallaciter ſed verè & ſeriò dicere quæ dicunt: tum etiam memoriæ cauſa interponunt ſignum quoddam notabile & rarum. Verba autem Dei neque poſſunt eſſe falſa, vt debeat tangi dextra, neque poteſt Deus obliuiſci, vt eius memoria debeat excitari aliquo ſigno. Præterea ſi Sacramentum vt argumentatur Caluinus ipſe, obſignat in nobis verbum Dei, aut ex illo diſcimus quod ante ſciebamus, aut quod neſciebamus. Si quod ante ſciebamus, ex verbo Dei nihil noui diſcimus. Conſequutio probatur. Illud principium quod nullam habet vim & efficaciam ad probandum preter illam quam ſumit ex altero primo non poteſt augere & confirmare cognitionem factam ab eo principio à quo vim habet, quemadmodum argumentum probabile non poteſt augere ſcientiam

Digitized by Google

comparatam per demonſtrationem; Sacramentum autem nullam vim habet & auctoritatem ad faciendam nobis fidem præter illam quam accepit à verbo Dei, ergo non poteſt augere & confirmare verbum Dei. Si autem quod neſciebamus, nihil poſſumus dicere ex ipſo Sacramento, quia nulla res ſatis habet argumenti ad gignendam in nobis fidem Catholicam præter vnum verbum Dei, ergo ſi ex verbo Dei non didiceramus, ex ſacramento nunquam diſcemus. Ad hoc argumentum reſpondet Caluinus ſigilla quæ diplomatibus alijſque publicis actibus appenduntur, per ſe accepta nihil ſunt, vt potè quæ fruſtra appenſa forent ſi membrana nihil haberet deſcriptum, neque ideo non confirmant & obſignant quod ſcriptum eſt: dum ſcriptis adduntur. Sed hoc argumentum in ea re vna, in qua vt valeret aliquid, oportebat eſſe ſimile, eſt diſſimillimum. Hoc enim intereſt inter verbum Dei & Sacramentum vna ex parte, & inter diploma & ſigillum ex altera. Quod verbum Dei ipſum per ſe ſine vllo ſacramento habet omnem ſuam auctoritatem; e contrario verò ſacramentum ſine verbo Dei nullam habet ſed omnem vim accipit ex verbo ipſo quod debet obſignare: Diploma autem & literæ Regiæ ſine ſigillo nullam auctoritatem habent, ſigillum ſine literis habet auctoritatem, nec eam accipit ex ipſis literis quas obſignat. Nam ſi inde acciperet nullo modo poſſet obſignare, nihil enim magis crederemus literis obſignatis, quàm non obſignatis, ſi ſigillum aliunde haberet auctoritatem quàm ex illis. quod accidit in verbo Dei & Sacramento. Quapropter Sacramentum non poteſt eſſe ſigillum verbi Dei. Illa verò differentia quam Caluinus fingit inter diplomata & noſtra Sacramenta, quod inter diplomata & res quas ſignificant, quia humanæ ſunt, ſit maior ſimilitudo quàm inter Sacramenta & promiſſiones, quod Sacramenta ſint res humanæ, & promiſſiones diuinæ; eſto ſit vera, nihil tamen pertinet ad rem. Deinde eſt falſum, nam maior eſt ſimilitudo inter res ex quibus conſtant Sacramenta & effectus quos ſignificant, quàm inter diplomata & id quod obſignat. Quid enim ſimilitudinis eſt inter ceram & chartam, & tria lilia ex quibus conſtat ſigillum, & inter pecuniam & poſſeſſiones quæ à Rege Galliæ mittuntur. At inter aquam baptiſmi & gratiam magna eſt ſimilitudo, nam vt illa corpus, ſic hæc animam mundat.

Quintum verbum eſt (*conſcientijs noſtris*] hanc enim vult Caluinus eſſe quaſi ceram, Sacramentum quaſi ſigillum. Itaque ſi nos oſtenderimus non ſemper eſſe ceram in eo qui recipit Sacramentum, erit manifeſtum Sacramentum non eſſe ſigillum. Atqui non ſemper eſt: quæ

enim con-

enim conſcientia eſt in puero cui neque ſcientia, neque ratio, neque ſenſus eſt, itemque quæ conſcientia eſt in furioſis & ſtultis quos ſemper in Eccleſiâ baptizatos legimus. Dicuntur quidem aliquandò Sacramenta ab auctoribus orthodoxis ſignacula atque Sigilla, ſed alio ſenſu quàm à Caluino. Caluinus enim vocat ſigilla, quę confirmant verbum Dei & promiſſiones, qua de re non eſt vlla ſyllaba apud vllum veterem auctorem: illi autem vocant ſigilla aliâ proprietate, quia vt ſigillum ſolet eſſe res quædam viliſſima, continet tamen aliquando rem maximi pretij, ita Sacramenta cùm conſtent ex rebus naturalibus & corporeis intus continent rem diuinam quam tegunt & obſignant.

§. 3.us

DE NVMERO SACRAMENTORVM.

Septem eſſe nouæ legis Sacramenta, omnia à Ieſu Chriſto inſtituta, nec plura vel pauciora, videlicet Baptiſmum, Confirmationem, Euchariſtiam, Pœnitentiam, Extremam vnctionem, Ordinem, Matrimonium, ex ſcripturis & Patrum traditione rectè definit Concilium Tridentinum ſeſſ. 7. Can. 1. quia ſeptenarius Sacramentorum numerus, licet ab inſtituentis voluntate potiſſimum dependeat, tamen fide ſuppoſita rectè oſtendi poteſt eum numerum conuenientiſſimum eſſe, tam ex analogiâ corporalis & ſpiritalis vitæ, quàm ex numero peccatorum & vulnerum. Quemadmodum enim homini ad vitam naturalem priuatam & publicè traducendam ſeptem neceſſaria ſunt, vt ſcilicet in lucem edatur, incrementum accipiat & robur, cibo alatur, & ſi morbo laboret, opus eſt imbecillitatem virium ægritudine contractam refici, morbique reliquias tolli. Ex parte autem reipublicæ neceſſarius eſt magiſtratus cuius auctoritate regatur; ac poſtremò neceſſarij ſunt parentes, qui legitima prolis generatione humanum genus conſeruent ac propagent. Ad eundem modum in vitâ ſpirituali generatio fit per Baptiſmum; Confirmatione in gratiâ roboramur: Euchariſtiâ nutrimur; Pœnitentiâ vulnera & morbi relapſorum poſt Baptiſmum ſanantur; Extrma vnctione peccati reliquiæ tolluntur: Ordine Sacramentorum miniſteria ſacræque aliæ functiones in Eccleſiâ exercentur: denique Matrimonio ex legitima maris & fœminæ coniunctione filij ad Dei cultum, humanique generis conſeruationem procreantur & religioſè educantur. Similiter contra peccatum originis Baptiſmus prę ſtat

Digitized by Google

regenerationem: contra peccatum actuale Pœnitentia remedium confert: peccata venialia mortiferorumque reliquias Extrema-Vnctio tollit: contra infirmitatem ne ex ea peccemus Confirmatio adiuuat, Ne affectus malitiâ vincatur Euchariſtia præſtat: ignorantiam Ordo depellit, concupiſcentiæ impetum cohibet Matrimonium.

Præterea ſeptem Sacramenta hominum animos ad ſeptem virtutum genera diſponunt. Baptiſmus enim illuminans eſt Sàcramentum fidei: Confirmatio Spei; Euchariſtia charitatis: Pœnitentia iuſtitiæ: Extrema Vnctio perſeuerantiæ ac fortitudinis: Ordo prudentiæ, Matrimonium temperantiæ.

His omnibus addi poteſt alia ratio ſeptenarium Sacramentorum numerum efficaciter probans. Quod Eccleſia Chriſti de ratione & numero Sacramentorum tradit, id quamuis expreſsè in ſcripturâ non declaretur, ſine vlla tamen dubitatione credendum eſt; ſed Eccleſia Chriſti tradit eſſe ſeptem Sacramenta nouæ legis, neque plura neque pauciora vt patet, ergo ita prorſus credendum eſt. Maior probatur iiſdem argumentis, quibus ſuperiùs probauimus ac oſtendimus Eccleſiæ auctoritatem in definiendis his quæ ſpectant ad fidem, Hic igitur breuiter tantùm ex eo probo quod niſi Eccleſiæ etiam ſine ſcripturis expreſſis, quod ad numerum & rationem Sacramentorum attinet, credendum ſit neque ipſi hæretici credere debebant eſſe duo Sacramenta nouæ legis verè & propriè dicta, ſcilicet Baptiſmum & Euchariſtiam, quæ tamen nobiſcum ſine controuerſiâ fatentur. Id verò probatur quia etſi ſcriptura illius operationis quæ eſt ablutio atque etiam regenerationis ſpiritualis in illa mentionem disertè faciat, nunquam tamen exprimit, quod hæc operatio ſuſcipienda ſit causâ ſignificandi ex diuina impoſitione gratiam ſpiritualis regenerationis, & Deum ipſum colendi. quæ tamen duo ſunt de ratione ac eſſentiâ veri Sacramenti. Similiter licet ſcriptura commemoret panem & vinum, ſeu panis & vini ſpecies, atque item gratiam & vitam ſpiritualem quæ in corporis & ſanguinis Chriſti ſub eis rebus vſu confertur, nullus eſt tamen ſcripturæ locus vbi expreſsè declaretur, quod his rebus ex peculiari inſtitutione Dei tanquam ſignis quibuſdam ſignificare velle debeamus ipſam gratiam & nutrimentum ſpirituale, quod in earum rerum vſu datur, neque etiam quod debeamus item per huiuſmodi res velle Deum colere. tanquam per ceremoniam quandam virtutis religionis. Minor noſtræ probationis clara eſt, & conſequenter firma concluſio.

Ex his refelluntur Nouatores qui ſeptenarum numerum Sacramen-

torum reijciunt. Tantùm hic addam illos in numero Sacramentorum (vt in multis alijs) non ſibi conſtare: nam vt bene aduertit Duræus in refutatione Vvhitakori pag. 490. Septenarium numerum Sacramentorum admiſerunt in colloquio Ratiſbonenſi anno M. D. XLI. Philippus Melancthon, Bucerus, & Caluinus. Sic enim ſcribit Bucerus ipſe in actis colloquij Ratiſbonenſis. *Proteſtantes non grauatim admiſerunt ſeptem Sacramenta.* Huic verò colloquio interfuiſſe Caluinum teſtatur Beza in vita Caluini. Quando igitur ſeptenarium Sacramentorum numerum Caluinus & alij reijciunt, ſibi non conſtant. Et certè quando per Nouatores Diabolus Sacramentorum numerum impugnat non aliud facit, quam olim feciſſe legimus Holofernem: quemadmodum enim Holofernes videns Bethunienſes, niſi aqua eos deficeret, inexpugnabiles fore, conatus eſt aquam ab illis auertere aquæ ductus intercidendo: ita Diabolus per hæreticos conatur Eccleſiæ aufferre legitimum vſum & cultum Sacramentorum, quæ ſunt tanquam aquæ ductus diuinæ gratiæ ad hominem.

CAPVT SECVNDVM.

§. 1.us

AN BAPTISMVS SIT NECESSARIVS AD SALVTEM ET AN BAPTISMVS CHRISTI SIT IDEM CVM BAPTISMO IOANNIS.

DVÆ ſunt hoc loco expediendæ difficultates, vt conſtat ex titulo paragraphi. Prima eſt an Baptiſmus ſit neceſſarius ad vitam æternam conſequendam. 2. An Chriſti Baptiſmus idem ſit cum Ioannis Baptiſmo. Quod ad primam partem attinet, dicendum eſt breuiter neceſſarium eſſe Baptiſmum omni rationali creaturæ ad vitam æternam conſequendam. Eſt de fide.

Probatur breuiter ex Ioannis 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non poterit introire in regnum Dei.* Vnde in Concilio Tridentino ſeſſ. 6. Canon. 3. decretum fuit, *Si quis dixerit Baptiſmum liberum & non neceſſarium ad ſalutem, Anathema ſit.* Nec propter hoc arctatur via ſalutis, quia nunquam potuerunt homines ſaluari niſi per Chriſtum, & niſi fierent membra Chriſti, quia non eſt aliud nomen datum homini-

Digitized by Google

bus in quo oporteat nos ſaluos fieri: Sed ante Chriſti aduentum homines incorporabantur Chriſto per Circumciſionem vel alia Sacramenta, & Sacramentum Baptiſmi quod Chriſtus ordinauit eſt longè maioris facilitatis, quàm fuerint alia Sacramenta ante aduentum ipſius. Igitur per Baptiſmum non arctatur via ſalutis, & licet aliquando non poſſit vel propter defectum aquæ, vel miniſtri obtineri in actu poteſt tamen in voto ſeu deſiderio haberi, quod ſufficit adultis, vbi facultas deeſt: & ſic non eſt obligatus vllus ad impoſſibile. Hæc breuiter de prima parte paragraphi. Quod attinet ad ſecundam.

Dicendum eſt non fuiſſe eumdem Batiſmum Ioannis, & Baptiſmum Chriſti. Hæc concluſio eſt contra Zuinglium tom. 2. lib. de Baptiſmo fol. 68. 73. 74. 75. Caluinum lib. 4. inſtit. cap. 15. Muſculum in locis communibus cap de Baptiſmo pag. 304. Bucerum, Brentium alioſque nouatores quos citat Guilelmus Reginaldus lib. 2. Caluinu-Turſini cap. 9 Eſt tamen Catholica & fide certa.

Probatur 1. ex PP. qui ſumma diligentia vtriuſque Baptiſmi pluſquam eſſentiales differentias ſcriptis tradiderunt, Cyrillo ſuper Ioannem cap. 2. Auguſtino lib. 8. contra Donatiſ. de Baptiſmo cap. 9. & tribus ſequentibus, & lib. 2. contra epiſtolam Petiliani cap. 37. Hieronymo in comment. Ioel. cap. 2. & aduerſus Luciferianos, Damaſceno, Chryſoſtomo & alijs, quos in noſtra ſententia eſſe fatetur ipſe Caluinus ſect. 7. *Neminem* [inquit] *perturbet quod alterum ab altero diſcernere veteres contendunt: cur, ita optimè Ioannes? Quorum non tanti eſſe nobis debet calculus, vt ſcripturæ certitudinem quatefaciat.* Quod idem fatetur de Patribus Vvhitakorus apud Duræum noſtrum pag. 512. *Quid* (inquit) *de Ioannis Baptiſmo veteres iudicarint non ignoro, ſed quid ſcriptura doceat, non quid illi ſuſpicentur, attendo.* Bona verba quæſo, & Patres ſcripturas aliquando vidiſſe veriſimile eſt, Sed quid quæſo ſcriptura docet? an non inter ſuum & Chriſti baptiſma Ioannes hoc diſcrimen ſtatuit, quod in aqua quidem ipſe, Chriſtus vero in Siritu ſancto baptizaret? Qua igitur vos fronte non aliter Chriſtum in Spiritu ſancto quàm Ioannem baptizaſſe aſſeritis? vel quomodo qui baptiſmo Ioannis iam baptizati erant Chriſti rurſum Baptiſmo tincti ſunt? niſi Paulum fortè qui eos baptizauit Anabaptiſtam fuiſſe dicatis. Sic enim ille. *Ioannes baptizauit baptiſmo pœnitentiæ populum dicens: in eum qui venturus eſſet poſt ipſum vt crederent. His auditis baptizati ſunt in nomine domini Ieſu* Quæ ſcripturæ verba tam plana, tamque aperta à proprio ac genuino ſenſu Caluinus tam ſceleratè detorquet, vt ex Baptiſmo impoſitionem manuum re-

pente nobis efficiat. *Baptiſmi* (inquit lib. 4. c. 15. ſect. 18.) *nomine ſignificare voluit gratias Spiritus ſancti viſibiles per impoſitionem manuum datas.* Hic veſter eſt in explicandis ſcripturis candor, vt ex quouis quiduis pro arbitrio efficiatis, cùm eo ipſo in loco Baptiſmus ab impoſitione manuum clariſſimè ſecernatur. *Baptizati ſunt* (inquit) *in nomine Ieſu, & cùm impoſuiſſet illis manus Paulus, venit Spiritus ſanctus ſuper eos,* Quid apertius? priùs enim baptizati ſunt, deinde per manuum impoſitionem Spiritum ſanctum acceperunt. Ac ne longior ſim, ſi idem vterque Baptiſmus fuit, cur non Pauli Baptiſmus, vel Petri dici potuit, quem illi contulerunt, vt Ioannis baptiſmus quem ipſe contulit? Cur, vt alia omittam, non in nomine vos Chriſti venturi, perinde ac Ioannes, baptizatis, vt in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti, Chriſti diſcipuli baptizarunt? Accedente enim verbo ad elementum fit Sacramentum.

---

§ 2.us.

QVID FIAT DE PVERIS NON BAPTIZATIS ANTE VSVM RATIONIS DECEDENTIBVS.

Vbi etiam de Lymbo Patrum & Purgatorio.

TRes difficultates complectitur hic paragraphus. Prima eſt quid fiat de pueris ante rationis vſum ſine baptiſmo in noua lege decedentibus. Secunda an fuerit ante Chriſti mortem Lymbus Patrum. Tertia an detur Purgatorium.

Prima difficultas oritur ex ſuperiori paragrapho. Si enim pueri non baptizati ante rationis vſum decedentes non poſſunt introire in regnum Dei, ſequitur pro illis aliquem alium locum ponendum eſſe: qui tamen quis ſit non facilè videri poteſt (inquiunt noſtri temporis hæretici) nam ponere locum qui vocetur lymbus infantium ſine omni fundamento dicitur. Dicendum tamen eſt dari lymbum infantium, idque neceſſariò dicendum eſſe & non ſine ratione vt impudenter mentiuntur hæretici.

Probatur, quia neceſſe eſt ponere pro pueris non baptizatis ante rationis vſum decedentibus in noua lege locum aliquem (& idem dicendum eſt de pueris non circumciſis octauo die quo tempore durabat præceptum Circumciſionis] hi enim non euolabant ad cœlum, cùm Paradiſi porta nondum eſſet aperta: nec portabantur ad ſinum Abrahæ, cũ Geneſ. 17. dicatur, *Maſculus cuius præputij caro circumciſa non fuerit, de-*

Digitized by Google

lebitur anima illius de populo ſuo. Et Ioannis 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aquâ & Spiritu ſanƈto non poterit introire in regnum Dei.* Si ergo locus deputandus eſt, non eſt Lymbus Patrum: quia qui illuc ibant, erant in gratiâ, & in propinquo Deum viſuri: decedentes autem in ſolo originali non erant in gratiâ, neque vnquam Deum viſuri: ideo locus ille eis conueniens non fuiſſet. Nec debet eis aſſignari purgatorium aut infernus, cùm nunquam habuerint peccatum actuale, & per conſequens non debent pati pœnam ſenſus: in Purgatorio autem & Inferno illa pœna ſuſtinetur: Alius ergo locus eſt aſſignandus, quem ſi comparemus ad dignitatem perſonarum locatarum, ponendus eſt ſub Purgatorio, quia illi qui ſunt Purgatorio ſunt in gratiâ, & ſic digniores. Si verò comparemus ad qualitatem pœnæ vel præmij, illi qui ſunt in Purgatorio magis affliguntur: quia patiuntur pœnam ſenſus iuxta illud Apocal. 18. *Quantùm ſe conglorificauit, &c.*

Quod ſi quæras quid faciant paruuli in Lymbo. Reſpondeo cum communi Doctorum opinione ſpeculari naturalia. Licet enim anima humana à principio ſui eſſe ſit tanquam tabula raſa, in qua nihil depictum eſt: nihilominus tamen qui non deficit in neceſſarijs, & qui animam creauit intellectualis naturæ in ſeparatione ipſius a corpore, influit tot ſpecies rerum quot acquirere potuit corpori vnita, ne fruſtretur intellectus earum, cui dedit Deus poteſtatem fieri, & continere quodammodo (ſcilicet per ſimilitudinem) omnia, vt habetur Sapientię 10. Sic quod nullus Philoſophus vnquam tanta cognouit de naturalibus, ſicut anima paruuli ſeparata. Et cùm omnes tales ſint eiuſdem ſpeciei, ſequitur quod omnes erunt pares in huiuſmodi infuſione & beatitudine naturali. Hæc dicta ſint de prima difficultate. ſupereſt iam diſputandum de ſecundâ, nempe an detur Lymbus Patrum ſeu quod idem eſt, an detur aliquis locus in quo detinebantur animæ ſanctorum Patrum antequam Paradiſi porta eſſet aperta per clauem Dauid, hoc eſt per Chriſti paſſionem. Negant hæretici, inter alios Caluinus lib. 2. inſtit. cap. 16. paragrapho 9. vbi ait. *Concludere in carcere mortuorum animas puerile eſt.* Contradixit tamen ſibi (vt ſolent mendaces ſui immemores contra Anabaptiſtas diſputans in Pſycopannichiâ cùm ait, *Nec verò miretur quiſquam includi carcere ſanctos Patres, qui redemptionem Chriſti expectabant.*

Dicendum eſt tamen dari Lymbum Patrum.

Probatur ex illo Zachariæ 9. *Tu quoque in ſanguine teſtamenti tui eduxiſti vinctos de lacu.* Vbi nota particulam *quoque.* In hoc loco non erant

Digitized by Google

tenebræ quantum ad carentiam gratię aut ſcientiæ, nec erat pœna ſenſibilis, quam homines patiuntur pro actuali peccato: ſed erat quædam quies & refrigerium. Dicitur hic locus ſinus Abrahæ eò quod primum principium credendi explicitè myſterium incarnationis & Redemptionis fuit Abraham, qui ſe ſeparauit ab Idololatriâ, & ſignum fidei accepit, & cui primo de Chriſto (ſine cuius fide non peruenitur ad requiem) ſpecialis facta fuit reuelatio. Ideo nunc requies Sanctorum in cœlis, vbi nullus eſt dolor, ad ſimilitudinem ſinus maris, in quo non ſunt agitationes, neque procellæ aut fluctuationes, ſed tranquillitas ſumma, dicitur ſinus Abrahæ. Ad hunc ſinum ſiue quietem delata fuit ab Angelis anima Lazari, & ibi refrigerabatur ante mortem Chriſti refrigerio quietis, abſque dolore ſenſibili. Quo refrigerio carebat diues epulo, exiſtens in profundiſſimo inferno: vnde Lucæ 16. dicitur eleuaſſe oculos in tormentis & petiuiſſe refrigerium linguæ. Refrigerium & conſolatio eorum qui erant in hoc ſinu, conſiſtebat in quiete conſcientiæ, & in contemplatione rerum naturalium, & eorum quæ per fidem audierant, de reparatione humani generis & myſterijs diuinis. Erat tamen quidam dolor de dilatione ſperatæ gloriæ, ſecundùm illud Prouerb. 13. *Spes quæ differtur, affligit animam.* Vnde D. Auguſtinus in quodam ſermone de paſſione Domini dicit, quod lacrymabili obſecratione Chriſtum orabant. Ab his doloribus liberauit eos Chriſtus, vnde act. 2. dicebat D. Petrus, *Deus Chriſtum ſuſcitauit ſolutis doloribus inferni.* Ad hunc locum inferni anima Chriſti diuinitati coniuncta poſtquam emiſit ſpiritum in die Paraſceues deſcendit, & reiecit poteſtatem Principum tenebrarum, iuxta illud Pſalm. 23. *Attollite portas Principes veſtras.* Gloſa exponit, *Principes auferte poteſtatem veſtram, quâ huc vſque homines in inferno detinebatis.* Et ſecundùm hoc debet etiam intelligi quod ait Apoſtolus ad Epheſios 4. *Deſcendit ad inferiores partes terræ*, & illud quod dicitur in Symbolo, *Deſcendit ad inferos*, nempe vt iuſtos illuminaręt: dicitur enim Eccl. 24. *Penetrabo inferiores partes terrę & inſpiciam omnes dormientes, & illuminabo omnes ſperantes in Domino*, ſcilicet ſanctos Patres lumine gloriæ & claræ viſionis ſuæ.

Probatur præterea concluſio ex Gen. 37. vbi Iacob poſtquam intellexiſſet ex filijs ſuis de Ioſephi filij ſui morte (cuius veſtem in ſanguine hædi tinxerant fratres] & dixiſſet *Fera peſſima comedit eum, beſtia deuorauit Ioſeph, ait, deſcendam ad filium meum lugens in infernum.* Hic autem locus ſaluari non poteſt ſicut nec prædicta & multa alia quæ adiungi poſſent niſi detur Lymbus patrum, ergo &c.

Hæc dicta ſint de Lymbo Patrum. Supereſt vltimo loco diſceptemus an detur purgatorium, id eſt locus expiationis, ſatisfactionis & ſolutionis pœnarum poſt mortem. Negant Nouatores, contra quos tamen.

Dicendum eſt neceſſariò admittendum eſſe Purgatorium. Eſt de fide.

Probatur ex illis verbis Chriſti, Math. 18. *Quicunque dixerit verbum contra filium hominis, remittetur illi, qui autem dixerit contra Spiritum ſanctum, non remittetur ei neque in hoc ſæculo neque in futuro.* Quibus verbis voluit Chriſtus enumeratione hac diuerſorum locorum peccati illius magnitudinem exaggerare, & ſignificare nuſquam eſſe remittendum. Enumerauit autem duo loca, vbi peccata remitti ſolent, in hoc inquam ſæculo, & in futuro, niſi enim in futuro peccata remitterentur, fruſtra hanc vocem & otiosè addidiſſet, quem conſtat nunquam otioſum verbum locutum, cùm prædixerit de omni otioſo verbo reddendam rationem in die iudicij. Datur ergo locus in futuro ſæculo, in quo remittuntur peccata. Hic autem non eſt alius quàm Purgatorium in quo per pœnas temporaneas remittuntur peccata, ergo &c. Quod autem hic locus non ſit alius quàm Purgatorium patet, quia Nouatores nullum alium in futuro ſæculo locum aſſignant quàm infernum damnatorum, & cœlum, at in neutro horum remittuntur peccata, vt conſtat ex confeſſione ipſorum aduerſariorum, ergo &c.

Probatur 2. ex illis verbis Chriſti, Math. 5. *Eſto conſentiens aduerſario tuo citò dum es in viâ cum eo, ne fortè te tradat iudici, & iudex tradat te miniſtro, & in carcerem mittaris. Amen dico tibi, non exies inde donec reddas quadrantem.* Quibus verbis ſignificauit Chriſtus aliquem eſſe locum poſt hanc vitam in quem ingreditur debitor, qui perſoluto debito poſtea egrediatur, qui locus alius non eſt quam Purgatorium. Sed inquit Caluinus, *Si iudex hoc loco Deum ſignificat, litigator diabolum, lictor Angelum, carcer purgatorium, libenter dabo manus.* Atque ita ſignificare aſſeuerauit non vnus de plebe, ſed magnus Cyprianus epiſt. ad Antonianum, quare fidem ſeruari poſtulo. Sed fruſtra ſollicitor. Quamuis enim numeroſa Patrum ego teſtimonia proferrem, nunquam anguis iſte tortuoſus mihi conſtringetur, caudam ſemper complicabit, & ſubtiliùs elabetur.

Ex his colligitur contra eoſdem Nouatores non ſemper ablata culpa à Deo, aufferri omnem pœnam peccatis debitam. Hoc eſt quandocunque fit vt qui crimine aliquo mortifero ſe aſtrinxerunt, à Deo quidem accipiant peccati condemnationem, liberenturque à reatu pœnæ æternæ, efficianturque amici & filij Dei, maneant tamen obligati ad pœnam

Digitized by Google

pœnam aliquam & temporaneam ſatisfactionem. Patet ex verbis Chriſti allatis in prima probatione præſentis concluſionis. Patet prætereà varijs ſcripturæ teſtimonijs & exemplis. Moyſeſque (Numer. 20.) ad aquas contradictionis grauiter Deum offenderat, tametſi poſtmodum Deo reconciliatus non minorem quàm antea cum ipſo familiaritatem & gratiam inierit, pœnam tamen luere debuit iſtius peccati, nempe non introducere populum in terram promiſſionis, ſed ante traiectum Iordanis morte mulctari. Similiter Dauid (2. Reg. 12.) poſt adulterium cum Betſabee & necem Vriæ, audiuit à Nathan Prophetâ: *Dominus transtulit peccatum tuum, non morieris*, id eſt ignouit peccatum & te in gratiam accepit; Audiuit tamen & hoc: *Hæc dicit Dominus: Ecce ego ſuſcitabo ſuper te malum de domo tua, & tollam vxores tuas in oculis tuis, & dabo proximo tuo & dormiet cum vxoribus tuis in oculis ſolis huius, nec recedet gladius de domo tuâ vſque in ſempiternum.* Quæ omnia eueniſſe conſtat in ſeditione Abſalonis filij. Denique primorum parentum inobedientia, tametſi & ipſis remiſſa fuerit, & nobis in Sacramento Baptiſmi condonetur, manet tamen ſententia Dei, *In ſudore vultus tui veſceris pane tuo. In dolore paries filium & morte morieris.*

Colligitur 2. hanc pœnam, quæ poſt dimiſſam culpam ſupereſt toleranda, non tolli omnibus poſt mortem. Patet ex prædictis Chriſti verbis, Math. 18. *Quicunque dixerit verbum contra filium hominis &c.* Patet prætereà, quia mors ob peccata primorum parentum toti humano generi, hoc eſt æquè iuſtis atque iniuſtis infligitur. Itaque Iudas Macabæus (2. Mac. 12.) ſanctè pro peccatis mortuorum curauit ſacrificia: & apud Apoſtolú, 1. Cor. 3. quidam ſaluantur, ſic tamen quaſi per ignem quanquam negandum non eſt afflictiones quandoque & dolores cum infirmitatis cum mortis, vel pœnam omnino tollere, vel ſaltem minuere, pro peccatorum qualitate, & pœnitentiâ morientium.

CAPVT TERTIVM

§. I.us

VTRVM DETVR ALIQVOD PROPRIE DICTVM SACRAMENTVM POENITENTIÆ.

Vbi etiam de Contritione, oris Confeſsione, ac ſatisfactione & actibus Pœnitentis.

QVod ad primam partem paragraphi attinet, negant communiter Nouatores, præſertim Caluiniſtæ vllum reperiri propriè dictum

Digitized by Google

Sacramentum Pœnitentiæ; contra quos tamen. Dicendum eſt dari verum ac propriè dictum Sacramentum Pœnitentiæ. Hæc concluſio eſt fide certa, & habetur in concilio Florentino ac etiam in Tridentino.

Probatur facilè ex dictis paragrapho primo, ac tertio primi capitis. Primo enim loco oſtendimus Sacramentum eſſe rem ſenſibus ſubiectam, quæ ex Dei inſtitutione ſanctitatis & iuſtitiæ tum ſignificandæ, tum efficiendæ vim habet, ſiue quod idem eſt, eſſe ſignum viſibile inuiſibilis gratiæ, à Chriſto inſtitutum: at huiuſmodi eſt pœnitentia, vt etiam ibidem diximus, & per ſe patet; ſignum enim viſibile eſt ipſa actio Sacerdotis; inuiſibilem autem gratiam infundi clarè habemus ex Chriſti Domini verbis Ioan. 20. *Accipite Spiritum ſanctum: quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta ſunt.* Et ex Mathæi 18. *Amen dico vobis, quæcunque alligaueritis ſuper terram, erunt ligata & in cœlo: & quæcunque ſolueritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cœlo.* Ex quibus verbis habemus expreſſam promiſſionem remiſſionis peccatorum, & conſequenter gratiæ, ſine qua illa non remittuntur: habemus pariter huius Sacramenti inſtitutionem, & conſequenter omnia quæ ad veram Sacramenti rationem requiruntur. Secundo etiam loco nempe paragrapho tertio eiuſdem primi capitis oſtendimus neceſſariò recipiendum eſſe ſeptenarium Sacramentorum numerum, quorum vnum eſt pœnitentia, omnium illorum, qui illorum numerum admittant, iudicio. Non eſt igitur hac in re multùm immorandum. Veniamus ergo ad actus Pœnitentis, & primò ad Contritionem: de qua quæri poteſt an ſit neceſſaria ad Sacramentum Pœnitentiæ. Negant Hæretici contritionem eſſe neceſſariam aut etiam attritionem.

Dicendum tamen eſt neceſſariam eſſe vel contritionem vel attritionem, hoc eſt neceſſarium eſſe dolorem, & peccatorum deteſtationem, vel ex charitate Dei, vel ex metu gehennæ, vel ex peccati fœditate ſuſceptum.

Probatur breuiter, quia verè non reſipiſcit, quem non pœnitet commiſſorum, vt per ſe patet, ſed Sacramentum Pœnitentiæ requiritur reſipiſcentia, ergo etiam requiritur vt pœniteat peccatorum. Minor conſtat, quia fuit ad peccatorum condonationem, omni ſæculo & lege neceſſaria. Vnde Dominus in veteri lege ait, *Conuertimini ad me in toto corde veſtro, &c.* Et Rex Ezechias. *Recogitabo omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.* Hæc ſatis de contritione.

De Confeſſione difficilior eſt quæſtio: nam non tantùm moderni Hæretici, ſed multi antiqui Hæretici (inter quos fuere Montaniſtæ

teſte D. Hieronymo in epiſt. ad Marcellam de Montani erroribus, & Meſſaliani teſte S. Damaſceno lib. de hæreſibus cap. 80.) contendunt, Confeſſionem nec inſtitutam à Chriſto, nec eſſe neceſſariam, ſed inutilem & ſuperſtitioſam. Verùm dicendum eſt Confeſſionem à Chriſto inſtitutam eſſe & eſſe ad ſalutem neceſſariam, quoad peccata mortalia vel in re vel in voto.

Probatur ex Valentiâ lib. de neceſſitate confeſſionis cap. 2. Si à Chriſto Domino quædam actio externa, quaſi tribunal quoddam pro conſcientijs fidelium inſtituta eſt, in qua illorum peccata iudicio atque ſententiâ legitimorum Eccleſiæ miniſtrorum vel remittantur vel retineantur, non poteſt fieri, quin etiam à Chriſto inſtitutum ſit, vt fideles peccata ſua quorum recordari poſſunt, miniſtris Eccleſiæ legitimis, ad obtinendam eorum iudicio atque ſententiâ veniam, confiteantur. Sed talis actio & quaſi tribunal, pro fidelium conſcientijs omnino eſt à Chriſto inſtituta, ergo & confeſſionem ab eo inſtitutam eſſe fatendum eſt. Maior probatur, quia nequeunt miniſtri prudenter ac diſcretè, vt oportet, iudicium de fidelium peccatis ferre, num ſcilicet remittenda, vel retinenda ſint, niſi cognitionem habeant conſcientiæ ipſorum fidelium, quomodo ſcilicet ſe erga peccata habeant: nec rurſus poſſunt miniſtri hanc cognitionem habere niſi fideles ipſi ſuam conſcientiam aperiant. *Quis enim hominum* (vt ait Apoſtolus) *ſcit quæ ſunt hominis, niſi Spiritus hominis qui in ipſo eſt*? Quin etiam cùm nunquam fiat dimidiata peccatorum mortalium remiſſio, ſed vel nullum peccatum mortale, vel omnia ſimul remittantur: neceſſe eſt omnino de omnibus ſaltem peccatis mortalibus, hoc eſt de conſcientiâ & animo peccatoris erga vnumquodque mortale peccatum, æquè miniſtrum cognoſcere: vt cum iudicio & diſcretione ſententiam remiſſionis vel retentionis ferat eorum peccatorum quę peccator ei aperit. Denique in omni genere ratio ipſa docet non eſſe à iudice ſententiam ferendam, niſi causâ in ſpecie probè cognita. *Qui enim iudicat quod nouit, hic demum iudex eſt iuſtitiæ*, id eſt rectus & ſapiens. Prouerb. 11. Vt igitur minimè dubitemus, eſſe Imperatoris iure inſtitutam delationem alicuius criminis, hoc ipſo quod Tribunal & iudices ad iudicandum in æterno foro de huiuſmodi ſubditorum crimine Imperator inſtituiſſet: ita etiam neque dubitandum eſt quin accuſatio & confeſſio omnium peccatorum in ſpecie ſit à Chriſto inſtituta, ſi is quaſi tribunal & iudices inſtituit ad ſententiam ferendam de remiſſione ſeu retentione peccatorum omnium, quæ à fidelibus commiſſa eſſent. Firma igitur eſt noſtri argumenti maior: Minor au-

tem, nempe tale quaſi tribunal ad iudicandum de peccatis fidelium à Chriſto inſtitutum eſſe, multis modis probatur. 1. Ex illo Ioannis 20. *Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos, accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata, remittentur eis; & quorum retinueritis retenta ſunt,* Ex quo loco patet, quam poteſtatem Chriſtus à Patre accepit remittendi peccata, hanc ipſum miniſtris ſuis delegauiſſe, vt eam per miniſterium ipſi quoque exercerent; ſicut diſertis verbis teſtantur diuus Chryſoſtomus lib. 3. de ſacerdotio, & D. Cyrillus lib. 12. in Ioannem cap. 55. *Pater non iudicat quenquam*, id eſt non iudicat ipſe ſolus, *ſed omne iudicium dedit filio.* Et illud Mathæi 18. *Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & in terrâ.* Quod in primis intelligitur de poteſtate iudicandi, ergo ſimiliter eadem poteſtas ex Chriſti voluntate & inſtituto exerceri debet cum diſcretione quadam & iudicio in miniſterio reconciliationis fidelium. Qaundoquidem ſic ſunt Chriſti miniſtri ad id miniſterium miſſi, ſicut fuit miſſus ipſe Chriſtus à Patre. Quod eam planè vim habet, vt quicquid auctoritatis poſſit competere miniſtris Chriſti, in miniſterio & vſu eorum remediorum, quæ ad hominum ſalutem à Chriſto ſunt inſtituta, id totum intelligere debeamus eſſe illis à Chriſto tributum. cumque ea poteſtate remittendi vel retinendi peccata cum cognitione & iudicio, niſi aliqua actione externa erga fideles ipſos miniſtri vti non poſſint (non enim aliter homo in hominem auctoritate aliqua fungitur] hoc ipſo certè quod vſus eius poteſtatis à Chriſto inſtitutus eſt, conſequitur actionem quamdam externam à Chriſto inſtitutam eſſe, velut tribunal quoddam pro conſcientijs fidelium, in quo hæc ſententia legitimorum Chriſti miniſtrorum, vel remitti vel retineri poſſint peccata fidelium illis ſubiectorum, vt aſſumpſimus in minori noſtræ probationis. Secundo idipſum confirmatur exemplo clariſſimo: Si enim filius Cæſaris cum poteſtate iudicandi, itemque cum auctoritate eam ipſam poteſtatem alijs delegandi mitteretur à ſuo patre, iſque alicui homini diceret, Sicut miſit me Pater, ego mitto te, qurum remiſeris delicta &c. minimè tunc dubitaremus. quin eiuſmodi homo à filio Cæſaris conſtitutus eſſet iudex delegâtus. Cùm igitur filius Dei Chriſtus Ieſus, cui omne iudicium à Patre datum eſt, omniſque poteſtas in cœlo & in terra dixerit Apoſtolis eorumque ſucceſſoribus, *Sicut miſit me Pater &c.* Ambigi nulla ratioue debet, quin ſint à Chriſto conſtituti iudices eorum fidelium, qui eis fuerint ſubditi, vt illorum peccata cum cognitione ipſius cauſæ vel remittere vel retinere poſſint. 3. idem probatur ex ipſa forma verborum, quibus eam poteſtatem Chri-

Digitized by Google

ſtus & promiſit & contulit ſuis miniſtris, Promiſerat enim eam Math. 28. illis verbis, *Quæcunque ſolueritis &c. quæcunque ligaueritis &c.* Conſtat autem actum ſoluendi & ligandi iudicialem eſſe. Item contulit eam poteſtatem illis verbis: *Quæcunque remiſeritis &c.* quæ certè verba ſimiliter iudicij quamdam diſcretionem & auctoritatem denotant.

Probatur 2. concluſio ex communi vſu primitiuæ Eccleſiæ in qua ſemper obſeruatum eſt, vt Chriſtiani pœnitentes peccata ſua Sacerdoti aperirent. Vnde in actis Apoſtolicis, *Multi credentium* (*pepiſteucoton*, qui ante crediderant] *veniebant confitentes* (*exomologoumenoi*, id eſt aperienter] *& annunciante actus ſuos.* Non enim generatim fatebantur ſe peccatores, neque ſoli Deo confitebantur; ſed actus ſuos & peccata aperiebant & enumerabant. Præterea Iacobus Apoſtolus loquens de præſbyteris ad infirmum ſacro oleo vngendum vocandis addit, *Confitemini* (*exomologeiſte*, aperite] *alterutrum peccata veſtra.* Iac. 5. hoc eſt non ſoli Deo aperite, ſed etiam conciui veſtro & huiuſmodi, non cuiuis ſed Sacerdoti, quem ad ſacram vnctionem infirmo dandam aduocaſtis.

Dices hæc argumenta probare quidem inſtitutionem confeſſionis diuinitus à Chriſto factam: non tamen eſſe illam neceſſariam ad ſalutem quoad peccata mortalia, quod poſuimus in noſtra concluſione.

Sed contra eſt. nam verè ex probationibus allatis colligitur eius neceſſitas, quam tamen adhuc ſic confirmo ex eadem inſtitutione diuinâ hoc modo. Si effectus alicuius medij diuinitus inſtituti, neceſſarius eſt hominibus ad ſalutem: ipſum etiam medium eſt illis ad ſalutem neceſſarium; præſertim ſi hominibus non ſatis conſtet eiuſmodi effectum per aliquod aliud medium ſe iam conſequutos eſſe. Sed effectus inſtitutæ diuinitus confeſſionis reſpectu mortalium quidem peccatorum neceſſarius eſt omnino ad ſalutem; neque communiter ſatis conſtat hominibus quod hunc effectum per aliquod aliud medium obtinuerint ergo ipſa etiam confeſſio eſt illis neceſſaria ad ſalutem. Maior huius argumenti propoſita probatur, quia cùm nihil à diuina Prouidentiâ ſuperuacaneè conſtitutum ſit, omnino vult Deus vt homines procurent vnumquemque effectum per medium ſeu media ad illud inſtituta, quamdiu præſertim ipſis non ſatis conſtat ſe illum effectum alia viâ eſſe conſequutos; ac proinde ſi effectus ſit ad finem aliquem neceſſarius, ad eundem finem vult Deus neceſſariò [pro loco ac tempore) vſurpari ea media, quæ ſunt propter eum effectum non fruſtra conſtituta. Nec ſanè poteſt vllo exemplo in aliquo genere oſtendi huius contrarium. Minor quoque argumenti propoſitio patet, quoniam effectus eiuſmodi

confeſſionis eſt remiſſio mortalium peccatorum, quæ committuntur poſt Baptiſmum. Hunc autem effectum ad ſalutem neceſſarium eſſe ex ſcriptura paſſim conſtat, quæ vbique docet ſine remiſſione peccatorum mortalium, neque gratiam Dei, neque vitam æternam haberi poſſe. Neque verò communiter hominibus ipſis conſtat, vtrùm per alia media, puta per actum contritionis, ſeu dilectionis Dei ſuper omnia, &c. eum effectum conſequuti ſint. Quare communiter tenentur ad effectum eiuſmodi procurandum, vſurpare etiam illud peculiare medium confeſſionis, quod eſt ad eam rem inſtitutum. Sicut etiam tenentur, qui nondum baptizati ſunt, vſurpare ad remiſſionem peccatorum certiùs procurandam, peculiare illud medium quod eſt ad eam rem in baptiſmo inſtitutum; licet fortè quidam opinari poſſent ſe iam per actum veræ contritionis aut dilectionis eam remiſſionem eſſe con-conſequutos. Quin etiam ſi alicui in particulari per diuinam reuelationem ſatis certò conſtaret, ſe iam eſſe ſine ſacramento Baptiſmi, aut ſine confeſſione, remiſſionem peccatorum conſequutum, tamen teneretur is nihilominùs lege Baptiſmi & confeſſionis. Non enim quia ceſſat finis legis in vno homine particulari, ideo ad illum non pertinet obligatio legis, quæ in communi omnibus propter eum finem poſita eſt, vt ſuppono ex tractatu de legibus. Itaque quamuis Chriſtus inſtituens confeſſionem, non expreſſerit verbis præceptum illius: tamen ex natura ipſa rei inſtitutæ præceptum illud rectè colligitur, ea quidem forma probationis qua vſi ſumus.

Hæc de contritione ac confeſſione. Ad extremum remanet aliquid dicendum de ſatisfactione, quâ Deo peccatis noſtris offenſo, honorem iniquè ſublatum actionibus pœnitentiæ compenſamus. De qua quicquid dicant noſtri temporis Sectarij: dicendum eſt, vt ſacramento pœnitentiæ peccator in priſtinum ſtatum reſtituatur, non ſatis eſſe dolorē afferre, & peccata Sacerdoti aperire, ab eoque verbis abſolutionis remiſſionem peccatorum conſequi; ſed neceſſarium eſſe fructus facere dignos pœnitentiæ.

Probatur concluſio ſimul & explicatur. Quemadmodum inter homines hæc Iuſtitia ſeruatur, vt qui vel furto, vel conuitio iniuriam intulit proximumque offendit; quamuis ei recocilietur & in amicitiam iterum admittatur, manet tamen reſtitutioni honoris & furti obnoxius; ita planè iuſtum videtur, vt cùm culpam nobis Deus dimittit, ac in gratiam ſuam nos recipit, temporale m aliquam pœnam ſubeamus, ac iniuriæ illatæ mulctam ſoluamus. Hinc facilè refelluntur ſectarij volentes

Digitized by Google

vniuerſam pœnam cum culpa remitti, nihilque ſoluendum aut ſatisfaciendum ſupereſſe remiſſa culpa. Scriptura enim ijs expreſsè aduerſatur; teſtatur enim ab amicis Dei pœnas repetitas peccatorum. Moyſes enim, vt paragrapho vltimo præcedentis capitis dictum eſt, propter peccatum ad aquam contradictionis prohibitus eſt ingreſſu in terram promiſſionis. Num. 20. Dauid ob commiſſum adulterium & homicicidium priuatus eſt infante, & filium Abſalonem habuit perduellem, &c. 2. Reg. 12. & 15. Et ne exiſtimes has pœnas inflictas, vt ſibi in poſterum cauerent, non vt peccata expiarent, Deus ipſe cauſam addidit. Moyſi quidem, *Quia non credidiſtis mihi, vt ſanctificaretis me coram filijs Iſrael, non introducetis hos populos in terram quam dabo eis:* Num. 20. Dauidi verò, *Quia blaſphemare fecisti inimicos nomen Domini, propter verbum hoc filius qui natus eſt tibi, morte morietur.* His autem peccati culpam à Deo condonatam fuiſſe teſtatur ſcriptura, dictum enim illi fuit, *Dominus tranſtulit peccatum tuum non morieris.* Et Moyſem poſt hoc peccatum non parum vt Deo præ cęteris hominibus familiarem commendat ſcriptura. & in Pſalmis de eodem & Aaron eiuſdem peccati reo ſic dicitur. *Deus tu propitius fuiſti eis, & vlciſcens in omnes adinuentiones eorum.* Quem locum tractans Eccleſiæ lumen Auguſtinus lib. 2. de peccatorum meritis cap. 16. fatetur Deum exercuiſſe in eorum peccatum vindictam cuius tamen culpa dimiſſa fuerat.

---

§. 2.us

VTRVM IVSTI BONIS OPERIBVS MERERI POSSINT GLORIAM.

Vbi etiam diſputatur an homo ſit liber.

CAtholica ſententia eſt, iuſtos bonis operibus verè promereri vitam æternam de condigno. Probatur clarè ex ſcripturis in quibus vita æterna dicitur merces & corona, vt Mathæi 10. Lucæ 6. 1. ad Cor. 3 Apocalipſis vltimo, Iacobi 1. Ex his colligi poteſt iuſtorum opera digna eſſe præmio vitæ æternæ, ſiquidem his appellationibus denotatur æqualitas quædam: ſiquidem dicitur ſecundùm proprium cuiuſque laborem merces. Accedit quod non dicatur corona & merces propriè quod redditur ſolùm propter meritum congruum, propterea etiam remiſſio peccatorum gratia dicitur, licet de congruo peccator ipſam mereatur, vt ait D. Auguſtinus epiſt. 205. Colligitur idipſum ex illis

verbis Apocalipſis 3. *Ambulabant mecum in albis quoniam digni ſunt.* 2. Ad Timotheum illis verbis, *Quam reddet mihi iuſtus iudex.* Cur enim iuſtum iudicem vocat, qui reddet illi coronam in illa die niſi quod operibus erit æqualis veluti merces meritis reſpondens.

Hinc refelluntur apertè Sectarij noſtri temporis qui non modò negant meritum condignum, ſed omne omnino meritum bonorum operum, vt videri eſt apud Caluinum lib 3. inſt. cap. 15. parag 2. Bezam cap. 4. confeſſ. art. 18. Refelluntur inquam apertè. Nam ſcriptura vitam æternam vocat mercedem, at merces reſpicit meritum. Vocat coronam iuſtitiæ id eſt iuſtam coronam, Matthæi 16. *Reddet vnicuique ſecundum eius.* Et ad Cor. 5. *Vt referat vnuſquiſque propria corporis prout geſſit ſiue bonum ſiue malum.*

Hæc ſufficient pro prima parte paragraphi, tranſeamus iam ad ſecundam, & videamus an homo ſit liber, an habeat libertatem ita vt poſſit agere aliquid vel non agere, bene vel male agere, vnum præ altero eligere.

Lutherani & Caluiniſtæ negant. Verùm dicendum breuiter eſt poſſe & in homine eſſe liberum arbitrium.

Probatur 1. experientiâ, quà experimus in noſtra poteſtate eſſe aliquid agere vel omittere &c. Etſi enim omnia neceſſaria ad agendum ſint poſita poſſumus vel ambulare vel ſedere indifferenter. hinc conſultationes in rebus humanis hinc merita & demerita, præmia & ſupplicia, quibus etiam propoſitis libere agimus quod non fieret in coactâ. Hinc etiam à ſapiente illatam iniuriam vlciſcimur, a ſtulto patienter toleramus, non aliâ de cauſâ quam quia ille liber, hic non.

Probatur 2. à priori appetitus ſequitur cognitionem, & perfectiorem cognitionem perfectior appetitus, ergo cognitionem vniuerſalem & ſuo modo indifferentem ſequitur appetitus vniuerſalis & indifferens, ſed intellectus percipit perfectè rationem boni & mali, quæ eſt in obiecto, ergo cognitionem talem ſequitur appetitus indifferens ad appetendum illud obiectum iuxta bonitatem in eo iudicatam atque bonum quod iudicatur indifferens, non amatur neceſſariò ſed liberè: ergo voluntas illud etiam liberè appetit. Et certè hoc adeo verum eſt, vt rectè dixerit Scotus non rationibus ſed verberibus cum eo agendum eſſe qui arbitrij libertatem negaret. Nam eò vſque fuſtibus contundendus eſt, donec fateretur in noſtra ſitum eſſe poteſtate à verberando abſtinere. Et ſi de iniuriâ ſibi facta conquereretur, occurrendum eſſet fruſtra ipſum conqueri, cùm nihil libero arbitrio ſed omnia neceſſitate gerantur.

Hinc patet

Hinc patet quàm impiè Lutherus in aſſertione articuli 36. ſcripſerit liberum arbitrium eſſe figmentum ſiue titulum ſine re. Patet etiam quàm impiè reliqui Nouatores dicant per peccatum primi parentis ab homine ſublatum liberum arbitrium. Hoc enim vt ex rationibus allatis conſtat, pugnat contra omnem rationem & preterea contra ſcripturam ex qua habemus Deum ſæpiſſime conqueri de populo ſuo quod ipſum vocantem non audiret. Ita Prouerb. 1. *Vocaui* (inquit) *& renuiſtis, extendi manum meam & non fuit qui aſpiceret*: An is renuere dici poteſt, qui vocantem non audit, aut qui non poteſt annuere? aut cur queritur Deus, quod cùm manum extendiſſet nemo aſpexerit, niſi quia extenderat vt aſpiceretur? Eandem ferè ſententiam habet Chriſtus in Euangelio. *Quoties* (inquit) *volui congregare filios tuos quemadmodum gallina congregat pullos ſuos ſub alis, & noluiſti &c.* Sed hæc nimis aperta ſunt.

CAPVT QVARTVM.

§ I.us

AN CHRISTVS DOMINVS SIT REALITER PRÆSENS IN SANCTISSIMO EVCHARISTIÆ SACRAMENTO.

QVamuis Eccleſia Catholica firmiter ſemper realem corporis & ſanguinis Chriſti præſentiam in ſanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento tanquam fidei dogma amplexa ſit, idque propter expreſſa ipſius Chriſti domini verba, quæ in vltima cœna dixit: Sectarij tamen noſtri temporis, & ante illos alij illam negare non ſunt veriti.

Contra hos hoc paragrapho Catholica veritas propugnanda eſt, & ipſorum inſania refellenda. Probatur igitur: 1. ex ipſis verbis Chriſti quæ in vltima cœnâ dixit, *Accipite & manducate, hoc eſt corpus meum.* Et *Accipite & bibite, hic eſt ſanguis meus.* Quæ verba ita clara ſunt vt neque metaphoræ, neque motonymiæ, neque vlli alteri figuræ locum relinquant. 1. Quia quemadmodum, ſi Chriſtus dixiſſet hic eſt panis triticus, aut hoc eſt vinum Hiſpanicum, quod vobis ſumendum porrigo, nihil fuiſſet obſcuritatis: ita nulla eſt obſcuritas, nec vllus dubitare debet, quin verum corpus & ſanguinem ſuum dederit, cùm dixit *Accipite & manducate, hoc eſt corpus meum: Accipite & bibite, hic eſt ſanguis meus.* 2. Similis eſt hæc ſententia illi Dei Patris, Math. 3. & 17. *Hic eſt filius meus dilectus.* Vnde ſi licet hæc verba Chriſti in vltima cœnâ dicta

Digitized by Google

per figuram interpretari, licebit etiam verba illa Dei Patris ſimili modo exponere; & ſi impium eſt verba illa Dei Patris per figuram exponere, impium etiam erit in his verbis Chriſti, *Hoc eſt corpus meum*, figuram conſtituere. 3. Verba teſtamentorum nullum figuratum debent continere ſermonem, ſed quantum fieri poteſt debent eſſe clara ac perſpicua, ad omnes lites & difficultates hæredibus tollendas: conſtat autem nobis in vltima cœnâ à Chriſto prædictis verbis teſtamentum relictum. ſic enim ipſemet aſſerit Lucæ 22. *Hic eſt calix nouum teſtamentum in meo ſanguine*, Quemadmodum igitur, ſi cui parens teſtamento reliquiſſet domum cum vinetis & hortis, non de tabella quæ fortè in ſupellectili paterna reperiretur, pictæ domus, horti, vineæ verba teſtamenti intelligeret, ſed de vera domo, vineâ & horto. Ita verba teſtamenti Saluatoris noſtri non de ſimilitudine corporis, ſed de ipſo vero corpore accipienda ſunt. 4. Nulla verba antecedentia vel conſequentia oſtendunt figuratam eſſe hanc locutionem, quemadmodum fit in alijs parabolis & ſimilitudinibus, veluti apud Math. 23.38. *Semen eſt verbum Dei*, & 1. ad Corinth. 10. 4. *Petra erat Chriſtus* Et ſic de reliquis: hic autem nihil apparet eiuſmodi, imò ex verbis ſequentibus potiùs colligimus realem Chriſti præſentiam. Lucæ enim 22. Græcè pro eo, quod nos habemus, *pro vobis effundetur*, legitur participium *ecchonómenon*, hoc modo: *Hic eſt calix nouum teſtamentum in meo ſanguine pro vobis effundendus*, id eſt potus ille qui erat in calice vt intelligamus eundem illum ſanguinem qui calice bibendus dabatur in cruce pro nobis poſtridie effuſum. 5. Denique Si Rex aliquis alicui Reipublicæ ſeriò promittens, vel certam pecuniæ vim vel aliud eximium donum, pictam deinde pecuniam vel imaginem illius doni mitteret, indignam ſe rem faceret ac planè ridiculam. Chriſtus igitur dominus qui Ioannis 6. tam multis verbis tamque ſeriò ſpopondit Eccleſiæ ſuæ daturum ſe corpus & ſanguinem ſuum in cibum & potum: *Panis* (inquiens) *quem ego dabo, caro mea eſt, quam ego dabo* [hoc enim in Græco codice additur) *pro mundi vita &c.* Certè illuſiſſet Eccleſiæ ſuæ, ſi præter fruſtum panis quo corpus illud ſignificaretur nihil reliquiſſet.

Probatur 2. ex 1. ad Cor. 11. verſu 27. vbi dicitur quod *Quicunque manducauerit panem hunc vel biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis & ſanguinis Domini.* Ex his verbis colligitur euidenter id quod manducatur & bibitur indignè ab indigno eſſe corpus & ſanguinem Domini. Neque enim poteſt ille eſſe reus corporis & ſanguinis Domini qui nihil accipit niſi panem & vinum. Reſpondent aliqui Sectariorum eos qui

Sacramentum indignè recipiant, ideo eſſe reos corporis & ſanguinis Domini, quia recipiunt panem & vinum quæ ſunt ſigna figuræ & imagines corporis & ſanguinis Domini.

Sed contra hanc ſolutionem eſt. Nam ſi ideo ab Apoſtolo, qui indignè recipiunt panem & vinum, rei ſunt corporis & ſanguinis Domini, quia indignè recipiunt figuras, ſigna & imagines corporis & ſanguinis Domini, ergo qui abutuntur imagine Chriſti rei erunt maximi peccati contra Chriſtum: hoc autem faciunt omnes aduerſarij, omnes enim imagines etiam Chriſti vt idola reijciunt, lacerant, ac igni comburendas tradunt. Vide vt optimè notauit Gordonius noſter controuerſiâ 3. de Sacramento Euchariſtiæ c. 13. *Noua eſt iſta & mira aduerſariorum religio in imagine: nam quas alibi vt idola reijciunt, hic nimis extollunt.* 2. Contra ſolutionem datam facit, quod Apoſtolus non loquatur de abuſu ſignorum duntaxat, verùm etiam de iniuriâ illata ipſi corpori & ſanguini Chriſti, id quod Beza ingenuè fatetur ad cap. 9. contra primam repetitionem Claudij de Sainctes. Nam cùm videret verba Apoſtoli aliud planè ſignificare quàm abuſum ſolius ſigni ſenſibilis, agnoſcit etiam Apoſtolum loqui de iniuriâ, eaque præcipua quæ infertur rebus ſignificatis, corpori videlicet & ſanguini Chriſti. Verba enim Apoſtoli clara ſunt & aperta in primis quia non dicit eos qui indignè ſumunt, eſſe reos ſignorum duntaxat, ſed eſſe reos corporis & ſanguinis Domini. Quibus verbis ſignificat non vulgare aliquod crimen committi, cuiuſmodi eſt indigna vſurpatio quorumuis ſignorum ſacrorum, ſed immane flagitium: idque contra ipſum corpus Chriſti. Deinde cùm paulò poſt explicat Apoſtolus quanam ratione ſint iſti rei corporis & ſanguinis Chriſti, dicit eos eſſe reos quia *non dijudicant corpus Domini*: hoc eſt non diſcernunt illum à cibis communibus, vt interpretentur ipſi etiam aduerſarij, præſertim Caluinus & Beza ad illum verſum 29. Cauſa igitur damnationis eſt, quod non rectè dijudicant ſeu diſcernunt ipſum Chriſti corpus quod illis offertur, nec tanto honore & reuerentiâ illud ſuſcipiunt, vt deberent, *veneratione ſingulariter debita*, vt loquitur diuus Auguſtinus tom. 2. epiſt. 118. ad Ianuar. cap. 3.

Probatur 3. Caluiniſtæ dicunt ſe realiter paricipes eſſe corporis & ſanguinis Domini, quando communicant, ergo in Sacramento adſunt realiter corpus & ſanguis Domini, alioquin opinio ipſorum ſeipſam euerteret. Antecedens eſt ipſorum: conſequentia ſic probatur. Non poſſunt hic accipere quod non eſt hic, ergo ſi quando communicant, realiter accipiunt corpus Domini, realiter ibi erit corpus Domini.

Digitized by Google

Dices Caluiniſtas quidem realiter quidem accipere corpus Chriſti, ſed non quod ſit ibi, ſed quod ſit in cœlo. Sed contra eſt quia ipſi non poſſunt aſcendere in cœlum realiter, nec per animam nec per corpus quando communicant, ſed ſemper realiter hærent in terrâ: quomodo ergo poſſunt realiter accipere corpus Domini, quod vſque ad diem iudicij extra cœlum non erit, vt ipſi dicunt? an fortaſſis ipſi in cœlum aſcendunt vt realiter ibi corpus Chriſti accipiant? Hoc certè mirabile erit quemuis Caluiniſtam plus poſſe quàm Chriſtum aut Chriſti corp⁹: non enim poteſt Chriſti corpus per illos ſimul realiter eſſe in cœlo & in terra: & tamen quiuis Caluiniſta dum communicat ſimul erit realiter terra & in cœlo.

Dicent ſe per fidem realiter participes eſſe corporis & ſanguinis Domini. Sed contra eſt, quia fides tua non efficit vt vlla tui pars, id eſt, neque animus neque corpus realiter in cœlo ſit, ergo non poteſt illic realiter alimentum accipere. Num ſi Romam ſi Hieroſolymam defixa cogitatione ad animum retuleris, realiter Romæ, realiter Hieroſolymis fuiſſe dicendus es? Reſtat ergo oſtendas, qui fieri poſſit vt anima quæ realiter non aſcendit in cœlum, realiter Chriſti carne veſcatur, niſi Chriſtus verè ac realiter adſit in terris: & quidem vno tempore multis ſimul in locis, cùm eodem ſæpe momento multi veſtrum per Germaniam, Scotiam, Galliamque communicent. Dices neſcire te modum, quo realiter participes corpus Domini, paſci te tamen ſcire. Itane? Si neſcis quomodo illa fiant, & tamen fieri credis, quomodo realiter non realiter in Sacramento eſſe credis, etiamſi non intelligis? Cur tanta in tranſſubſtantiationem audacia, tanto furore agis? Denique vt neſcias modum, at ſaltem ſcis eiuſmodi modum eſſe qui te faciat non cogitatione tantùm ac fide, ſed reipſa corpori Chriſti contiguum, vel fatendum te non reipſa corpus Chriſti accipere.

Multis argumentis probari poſſet hæc eadem veritas, ſed breuitatis causâ illis omiſſis tantùm aduerto realem præſentiam Chriſti Domini in ſanctiſſimo Euchariſtię Sacramento, agnoſcere Ioannem Hus quem Sectarij ſuum eſſe volunt, Ipſe enim in tractatu de hoc Sacramento, (quem ſe conſcripſiſſe teſtatur epiſt. 51. in carcere paulò ante mortem) apertiſſimè agnoſcit tranſſubſtantiationem panis & vini, adorationem Euchariſtiæ, & Sacrificium Miſſæ; & addit nunquam ſe aliter docuiſſe aut ſenſiſſe, de quo ipſum veritatis inimici mendaciter accuſarunt. Huius rei teſtes ſunt & verba illa rythmi cuiuſdam Ioannis Hus de hoc Sacramento, quę extant in 2. tom. operum Hus: ſunt autē Huiuſmodi.

Digitized by Google

Non eſt panis ſed eſt Deus,	*Non augetur conſecratus,*
Homo liberator meus,	*Nec conſumptus fit mutatus*
Qui in cruce pependiſti,	*Nec diuiſus in fractura*
Et in carne defeciſti,	*Plenus Deus in ſtaturâ.*

§ 2.us

DE INSTITVTIONE DIVINI SACRIFICII MISSÆ.

Vbi oſtenditur in Miſſa verum ſacrificium Deo offerri.

MIſſæ nomen nouum eſſe, ac à ſancto Gregorio inuentum contendunt Nouatores. Sed falluntur; nam cùm ipſa ferè Eccleſia natum eſſe certum eſt: eo enim vtitur Clemens Romanus qui paſſus eſt anno Domini 102. in epiſt. 3. ſcribens. *Non vtique Miſſas, ſine eius* (nempe Epiſcopi) *iuſſu quiſquam præsbyterorum in ſua parochiâ agat.* Et paulò poſt. *Quoniam in aliis locis ſacrificare, & Miſſas celebrare non licet, niſi in iis in quibus Epiſcopus proprius iuſſerit.*

Hoc igitur ſuppoſito, videamus nunc an Euangelicæ legis auctor Chriſtus dominus, inſtituerit diuinum ſacrificium Miſſæ. Qua in re partem negantem amplectuntur Sectarij noſtri temporis; affirmantem Catholici, cum quibus dicendum eſt diuinum hoc ſacrificium inſtitutum fuiſſe à Chriſto Domino.

Probatur concluſio clarè ex Lucæ 22. Mathæi 26. Marci 14. & 1. ad Cor. 11. ex quibus locis luce clarius eſt à Chriſto Domino fuiſſe inſtitutum: cùm & ipſe Deo Patri in vltima cœna illud obtulerit, & præcepit vt idem deinceps Apoſtoli quos ſacerdotes ordinauit, cæterique deinceps eodem caractere inſigniti, in ſui memoriam facerent. Oportuit enim Authorem Euangelicæ legis inſtituere Euangelicum etiam Sacrificium, quod cum lege transfertur, vt ait D. Paulus ad Heb. 7. & ſacrificium. quod ſacerdotium tanquam corollarium neceſſariò ſequitur, vt docet idem Paulus cùm ad Heb. 8. inquit, *Omnis Pontifex ad offerendum munera & hoſtias conſtituitur: Vnde neceſſe eſt & hunc habere aliquid quod offerat.* nempe diuerſum ab antiquis ſacrificijs. Cùm ſine his religio eſſe non poſſit.

Ex his habemus inſtitutionem diuini Sacrificij Miſſæ. ſupereſt diſputandum an in Miſſa verum ſacrificium Deo offeratur.

Dicendum eſt offerri. Probatur primò ex dictis. 2. Chriſtus in cœna

dixit diſcipulis. *Hoc facite in meam commemorationem.* Sed his verbis inſtituit, ordinauit ac præcepit Chriſtus vt Apoſtoli & alij Sacerdotes offerrent corpus & ſanguinem ipſius tanquam verum ſacrificium nouæ legis, ergo in Miſſa offertur ex præcepto Chriſti verum & proprium ſacrificium corpus Domini. Maior habetur Lucæ 22: Minor probatur cùm dixit. *Hoc facite in meam commemorationem.* præcepit vt Apoſtoli illud facerent quod ipſe tunc faciebat. Atque Chriſtus in cœna obtulit Deo Patri corpus & ſanguinem ſuum ſub ſpeciebus panis & vini, ergo &c. Maior patet quia pronomen hoc demonſtrat neceſſariò rem præſentem. Minor probatur ex ijs quæ fecit & dixit Chriſtus Dominus in cœna. Vt autem intelligatur hæc probatio duo ſupponenda ſunt; primum quid egerit Chriſtus in cœna: deinde quid ſit ſacrificium. Et de priori quidem nulla eſt difficultas, quia hoc Euangeliſtæ & Apoſtolus Paulus declarant. De poſteriori nòn idem ſentiunt omnes: nam aliter definiunt ſacrificium, aliter Caluiniſtæ, aliter Catholici. Verùm quocunque modo definititur oſtendemus Chriſtum inſtituiſſe ſacrificium. Lutherani in apologiâ confeſſionis Auguſtanæ in cap. de Miſſa ſacrificium ita definiunt, Sacrificium eſt ceremonia vel opus quod nos Deo reddimus vt eum honore afficiamus. Sit argumentum. Chriſtus in cœna tale opus & talem ceremoniam exhibuit, ergo &c. Probatur antecedens, quia Chriſtus reddidit Deo Patri totum illud opus quod fecit in cœna, idque vt eum honore afficeret; nam Chriſtus antequam daret corpus & ſanguinem ſuum, gratias egit Patri, & rurſus poſt cænam hymnum dixit Patri. Nos etiam iam cùm recitantur verba Chriſti, Chriſto Deo ipſam actionem reddimus quia ita præcepit, idque vt eum honore afficiamus: nam fit in commemorationem Chriſti, ergo &c. Caluinus lib. 4. inſtit. cap. 18. ſect. 13. reiecta definitione Lutheranorum definit ſacrificium eſſe quicquid animo Deo offertur; ex quâ definitione facilè probamus Chriſtum in cœna ſacrificaſſe & inſtituiſſe ſacrificium. nam certum eſt quod Chriſtus totam actionem ſuâ cœna fecerit ad gloriam Dei. Et certum eſt nos totam actionem cœnæ debere dirigere in gloriam Dei, & offerre in commemorationem Chriſti. Vera & exacta definitio ſacrificij eſt iſta. Sacrificium Dei viſibile eſt res ſenſibilis Deo oblata cum quadam ſacra immolatione. vel eſt ipſamet ſacra immolatio talis rei. Ex hac definitione ſacrificij ſequitur tres eſſe conditiones ſacrificij. Prima, vt ſit ſacra immolatio vel reipſa vel repreſentatione. Secunda, debet eſſe res ſenſibilis quæ ſit victima. Tertia, debet illa res ſenſibilis & immolatio immediatè ad Deum dirigi per oblationem.

Digitized by Google

iam ex his probenus ſacrificium miſſæ eſſe vnum & proprium ſacificicium. Illud quod in ſe complectitum rem ſenſibilem Deo oblatum cum Sacra immolatione Chriſtus in cœna inſtituit omnia iſta tria complectitur ergo ſe. Maior patet ex dicta definitione & quamuis illam reijciant ſectarij tamen vt ex ipſorum definitionibus latis conſtat non poſſunt negare enim definitio ſacrificij conuenienter quod Chriſtus in cœna inſtituit. Minor probatur ex verbis Chriſti. Rem ſenſibilem oſtendit Chriſtus cum dixit. *Hoc eſt Corpus meum: Hic eſt ſanguis meus* Quod iſta Deo offerebantur tunc temporis conſtat ex ijs verbis. *Quod pro vobis datur. Pro vobis frangitur. Pro vobis effunditur.* Denique oſtendit, etiam ſacra immolatio quando dixit. *Hoc facite in meam commemorationem* de re ſenſibili nullus poteſt dubitare quis conſtat ſacrum eſſe rem ſenſibilem, deinde eſſe hic immolationem per repræſentationem nō audent negare ipſimet aduerſarij.

§. 3.us

AN CHRISTVS DOMINVS ITA SIT MEDIATOR NOSTER, VT Sancti nullo modo mediatores eſſe poſſint inter Deum & homines.

AFFIRMANT hæretici propter ea quibus vbi etiam de ima quod Apoſtolus Paulus (inquiunt) 1 Timotheum 2. verſu 5. dicat vnum tantum eſſe Mediatorem Dei & hominum Chriſtum Ieſum. Sed miſere errant, nam primo non habet Apoſtolus vnicum eſſe tantum Mediatorem, ſed illi vocem illam tantum addiderunt 2. quamuis Apoſtolus haberet eo loco vnicum tantum eſſe Mediatorem, tamen nihil faceret ille locus contra cultum Sanctorum, quia loquitur Apoſtolus ibi ex Mediatore per redemptionem, quem vnicum tantum eſſe fatentur omnes Catholici. *Vnus enim Deus,* (inquit) *Vnus & Mediator Dei & hominum homo Chriſtus Ieſus, qui dedit redemptionem ſemetipſum pro omnibvs. &c.*

Probemur ergo contra vos Hereticos ſanctorum cultum 1. probatur exemplis ſcripturæ Abraham adorauit Angelos Geneſ. 18. idem fecit Lots. Geneſ. 19 Balaam adorauit Angelum pronus in terram nume. 22. & Ioſue 5. hic autem cultus erat pluſquam ciuilis; quia iſti tantum adorabunt quando ſciebant eſſe Angelos, non antea. Rurſum Abdias adorauit Eliam 3. Reg. 18. Saul animam Sameulis 1. Reg. 28 Nabuchodonozor danielem non repugnan tem, Daniël. 3. cum vero iſte ſecundum dignitatem ciuilem longe maiores fuerint ijs quos ado-

rabunt conſtat adorationem ſacra fuiſſe non ſibilem. Nec refert quod Nabuchodonozor ibidem iuſſerit Danieli offerre ſacrificium. Quis cum diſerte profiteretur Deum Danielis eſſe Deum deorum, non ipſi Danieli ſed deo Danielis illud afferre voluit vt exponit D. Hieronimi in eum locum. Alij per hoſtias intelligunt per munera & oblationem communiter dictamſ quæ hominibus etiam fieri couſuenit. Et hæc expoſitio conuenit tranſlationi 70. & textui hebraico.

Probatur 2. ratione ſancti in cœlo regnantes adorari poſſunt aliquo genere adorationis, illa non eſt ciuilis: ergo ſacra ac religioſa. Maior probatur quia clarum eſt ſanctos eſſe nobis ſuperiores, omnes autem ſuperiores aliquo genere adorationis adorari poſſunt ſiue honorari. Minor probatur nam qualis eſt excellentia eius quem adoramus, talis eſt adoratio, adoratio enim eſt teſtimonium eſt excellentiæ; atque excellentia Sanctorum longe nobilior eſt & alterius rationis quam omnis excellentia aut dignitas humana vel politica, conſiſtit enim in ſanctitate perfecta adoptione in filios Dei, complectæ beatitudine poteſtate qua cœli Reges nominantur, Lucæ. 22. *Ego diſpono vobis ſicut diſpoſuit mihi pater meus regnum.* Quis non videt talem excellentiam incomparabiliter alteriorem eſſe omni politica excellentia, & per cõſequens adeo rationem quæ ob eam ſanctis defertur eſſe omni adoratione politica ſublimorem.

Probari 3. poſſet authoritate ſanctorum PP. quorum plurimos citat vaſquez lib. 1. de adoratione diſp. 5. cap. 2. ſed eos omitto, quia pro nobis eſſe non negant ſectarij, dicunt in hoc lapſos fuiſſe aut cõſuetudini populari ſe accomodaſſe: quod quam vanum ſit & impium nemo non videt.

Probatur denique quia ipſi aduerſarij vt veritatis conuicti hanc Catholicam doctrinam veram eſſe fatentur. Et quidem caluinus lib. 2. de reformatione Eccleſiæ expreſſe ait. Libenter colimus virginem Mariam dominam noſtram eo idem docet Lutherus in purgatione quorundam articulorum, vbi ita loquitur. *Cum tota Eccleſia Chriſtiana ſentio & iudico, ſanctos nobis honorendos eſſe atque inuocandos.* Scio hos, alibi ſibi contradicere Luterus enim in ſerm. de mammona ita loquitur *Pro meritis Petri ne vnum quidem obolunt darem vt me iuuaret: ſeipſum enim adiuuare non poteſt.* Caluinus autem in lib. de ratione reformanda Eccleſiæ ita loquitur. *Omitto Dominum & ſimiles carnifices. Omitto Medandũt lubinam, & ſimiles beſtias.* Sed in hocſe hereticos oſtẽdunt hoc eſt lees & inconſtãtes. Quæ reſquid dicendũ ſit de reliquis. Poſſunt ne honnorari ac veuerari?

Reſpondeo

Reſpondeo. Eſt de fide definitum in. Concil. Gangrenſi can. 5. & in 7. Synodo actione 7. in Concil. can. 14. & in multis alijs conſilijs. 2. conſtat ex Scriptura ex qua hanc veritatem probat D. Hieronymas contra vigilentium. Nam ex deuteronomij vltimo conſtat corpus Moyſis ita honoratum vt proprijs manibus ipſe Deus vel (vt inqnit epiphanius hæreſi 9.) Angelj ſepelierint ipſe Deus in honorem Eliſæi miraculum edidit, ſuſcidando mortuum, cuius cadauer tetigerat oſſa Prophetæ 4. Reg. 15. 4. Ioſias Rex volens omnem idolatriam & ſuperſtitionem euertere: cum multa corpora quæ in monte ſepulta erant combuſſiſſet 4. Reg. 23. oſſa Eliſæi & alterius prophetæ ſeruauit intacta.

Supereſt vltimo loco aliquid de imaginibus dicendum. Vtrum nempe licitæ ſint & an ſint adorendæ. Et quidem.

Licitas eſſe eſt de fide & ſæpius definitum ſed potiſſimum in duabus ſynodis generalibus nemqe ſynodo 7. quæ fuit Nicen. 2. expreſſe conuocata aduerſus iconoclaſtas anno 787. ſub Adriano 1. Pontifice, Imperatoribus conſtantiæ & ireue eius Matre, & tridentino ſeſſ. 25. decreto de reliquijs & imaginibus. Et Probatur 1. quia nec ex natura rei nec vlla lege poſitiua ſunt illicitæ. Quod non ex natura rei patet quia Deus in veteri teſtamento iuſſit imagines fieri, nempe imagines Cherubini ſuper arcam exod. 25. & imaginem æneam num. 21. deinde ſi imagines ex natura rei eſſent illicitæ ipſa quoque ars pictoris & ſtuatuaria ex natura rei malæ eſſent, ſicut necromantia & ſimiles at hoc præterquam quod perſe abſurdum ſit, repugnat ſcripturæ quæ axod. 31. & 36. teſtatur Deum has artes hominibns infudiſſe iam quod lege poſitiua nō ſint illicitæ patet quia nec in ſcriptura nec alibi conſtat talis prohibitio: imo Eccleſia ſemper iuſſit eas haberi, & hinc.

Probatur 2. experpetuo vſit Eccleſiæ quam primis etiam ſæculis de quibus ſolis dubium eſſe poteſt, imagines habuiſſe conſtat ex imaginibus varijs Chriſti quæ tunc extiterunt: & quidē vt alia omittam, Chriſtus ipſe linteo faciei admoto ſuam impreſſit imaginē eamque ad Abagarum Regem tranſmiſit vt referunt Euagrius lib. 4. hiſt. Eccleſiaſticę cap. 26. addens illius imaginis præſentia ciuitatem Edeſſenam ab incendio fuiſſe liberatam: Metaphraſtes in vita conſtantini, damaſcenus erat 1. de imaginibus & alij.

Iam quod imagines ſacræ ſint adorendæ probatur 1. ex ſcriptura. Si quid enim obſtaret huic adorationi, eſſet quod imagines ſint inanimatæ, atqui iuxta ſcripturam aliquid inanimatum adorari poteſt ergo Minor oſtenditur 1. quia in veteri teſtamento iuſſit Deo arca fæderis &

INDEX CAPITVM ET PARAGRAFO- huius liber tertius.

Pars prima. Caput primum.

para. 1. quænam ſit vera Dei eccleſia in terris.

para. 2. An verbi Dei predicatio & legitimus ſacramentorum vſus ſint veræ notæ eccleſiæ. 3

para, 3. Aſsignatur ſimul & probantur veræ eccleſiæ notæ & proprietates. 7

para. 4. oſtenditur prædictas proprietates hæreticorum ſynagoge non conuenire, ſed Eccleſiæ Catholicæ, romanæ, & eam eſſe veram Eccleſiam. 11

Caput ſecundum.

paragrafus 1. Oſtenditur veram eccleſiam non poſſe errare in rebus fidei, nec poſſe eſſe inuiſibilium. 81

paragra. 2. OOſtenditus S. petrum ſuper omnes apoſtolos principatū geſsiſſe, fuiſſeque Eccleſiæ Chriſti caput. 20

para. 3. Probatur non minus vniuerſæ chriſtianæ Eccleſia aliquam præſſe debere, quam olim præfuerit Sanctus Petrus, Vbi etiam oſtenditur talem eſſe Pontificem Romanum. 22

Caput tertium.

paragra. 1. A quo petendus verus ſacræ ſcipture ſenſus. 25

para. 2. Quomodo dignoſcendæ ſint ſacræ Scripturæ Canonicæ a non Canonicis. 26

pa. 3. An ſacra ſcriptura ſit obſcura. 28

para. 4. An ſcriptura ſacra ita contine at neceſſaria ad ſalutem, vt nullæ admitti debeant traditiones. 28

para. 5. An ſcriptura ſit iudex controuerſiarum.

PARS SECVNDA caput primum.

para. 1. Quid ſit ſacramentum. 35

para. 2. Reijcitur definitio ſacramenti quam adfert Caluinus. 36

para. 3. de numero Sacramentorum. 41

Caput ſecundum.

para. 1. An baptiſmus ſit neceſſarius ad ſalutem & an baptiſmus Chriſti ſit idē cum baptiſmo Ioannis. 43

para. 2. Quid fiat de pueris baqtizatis ante vſum rationis de credentibus. Vbi etiam de Limbo Patrum & Purgatorio. 45

Caput tertium.

paragr. 1. Vtrum detur aliquod proprie dictum Sacramentum Pœnitentiæ. Vbi etiam de contritione, oris Confeſsione, ac ſatisfactione & actibus. 49

para. 2. Vtrum iuſti bonis operibus mereri poſsint gloriam. Vbi etiam diſputatur an homo ſit liber. 55

Caput quartum.

para. 1 An Chriſtus Dominus ſit realites præſens in ſanctiſsimo Eucharistiæ Sacramento. 57

para. 2. De inſtitutione in diuini ſacrificij Miſſæ. Vbi oſtenditur in Miſſa verām ſacrificium Deo offerri. 61

para. 3. An Chriſtus Dominus ita ſit mediator noſter, vt Sancti nullo modo mediatores eſſe poſsint inter Deum & homines. 63

FINIS.

Digitized by Google

APPROBATIO.

Opus iſtud, cui inſcriptio eſt De statu hominis, veteris simul ac novæ Ecclesiæ, et Infidelium Conversione, non modò vel cum generali Eccleſiæ ſententia, vel cum ſaluberrima fidei doctrina, vel cum probis moribus & vitæ ſanctimonia ſentit & conſpirat vehemenrer; ſed multa paſſim offenduntur in eo, quæ ad hiſtoriæ cum ſacræ, tũ profanæ notitiam pertinent, ſcitè eruditè commemorata, & acutè diſceptata. Tam pius proinde labor, vtilis terſus & eruditus in lucem tuto proferatur. Ita ſentimus nos Doctores Theologi Pariſienſes.

F. Stephanus Reuerdy
Auguſtinenſis.

Ioannes Laisne'

Digitized by Google

60

Digitized by Google